WIGGERS

Julius Wiggers.

1833.

LIBRARY
OF THE
UNIVERSITY OF ILLINOIS

DE

CORNELII NEPOTIS ALCIBIADE

QUAESTIONES

CRITICAE ET HISTORICAE.

SCRIPSIT

JULIUS WIGGERS,

STUD. THEOL. ET PHILOL.

COMMENTATIO

DE SENTENTIA DECANORUM

ACADEMIAE ROSTOCHIENSIS

MAXIME SPECTABILIUM

A. D. X. DECEMBRIS A. MDCCCXXXII

PRAEMIO ORNATA.

LIPSIAE,

APUD AUGUSTUM LEHNHOLDUM.

MDCCCXXXIII.

VIRO CLARISSIMO

FRANCISCO VOLCMARO FRITZSCHIO,

ELOQUENTIAE AC POESIS PROFESSORI P. O. ET SEMIN. PHILOL. DIRECTORI

PRAECEPTORI DILECTISSIMO

HAS STUDIORUM PRIMITIAS

QUA PAR EST OBSERVANTIA ET PIETATE

D. D. D.

JULIUS WIGGERS.

PRAEFATIO.

Quum neque in eligendo neque in tractando argumento totus a meo ipsius iudicio pependerim, non habeo nisi admodum pauca, quae de huius libelli consilio rationeque hic dicenda esse videantur. Etenim a decanis academiae Rostochiensis maxime spectabilibus nova quaestio proposita erat his ipsis verbis: „De Alcibiadis vita a Cornelio Nepote scripta ita disputetur, ut quae plurimae a Viris doctis motae sunt et historici generis et grammatici et critici dubitationes, eae vel omnes tollantur, vel saltem valde minuantur.“ Quamobrem summa contentione id egi, non ut in singulari huius quaestionis parte singularem operam collocarem, sed ut omnibus iis, quae exspectarentur, pariter satisfacerem. Itaque non magis ad res historicas, quibus unice me delectari fateor, diligenter expediendas, quam ad criticas et grammaticas dubitationes quam fieri potuit accuratissime explicandas me contuli. Quo facto commentatio mea digna visa est doctissimis iudicibus, quae et in lucem prodiret, et publice praemio ornaretur. Tum demum,

iussus extremam manum huic opusculo adhibere, subito animadverti, multa mihi aut valde contrahenda aut plane omittenda esse, ne forte viderer libellum pollicitus librum scripsisse. Quum vero multo plus historicis quaestionibus, quam criticis et grammaticis tribuerem, si quod licet de nostris ipsorum scriptis ferre iudicium, illas quidem integras retinere, ex his autem secundum illam auream Hesiodi vocem: „ὅσῳ πλέον ἥμισυ παντός“ alia eaque sane multa prorsus abiicere, minuere alia et in angustum deducere placuit. Consenserant viri egregii, a quibus praemium mihi decretum erat. Quare de critico genere ea tantum elegi, quibus aut novam lucem Cornelio afferri certo confiderem, aut veteres lectiones novo quodam modo mihi illustrasse viderer, grammatici vero generis fere non reliqui nisi eas partes, quae cum illis quaestionibus criticis arctissimo vinculo coniunctae essent. Illud enim committere nolui, ut priore huius libelli parte superbe exclusa, historicas quaestiones solas ederem, vel quod a via mihi monstrata tum valde aberrassem, vel quod sperabam fore, ut mea ista opera paullulum fortasse, consuleretur tamen scriptori nec percepto ubique et saepe graviter depravato. Ubicunque autem de varietate lectionis nihil quidquam a me dictum est, ibi scito nos in ea scriptura acquievisse, quam Bardilius, vir si quis alius optime de Cornelio Nepote meritus, sive verbis sive ipso silentio tuitus est. In huius enim viri editione tanquam in fundamento nixus, non tamen neglectis neque prioribus

neque recentioribus, hoc opusculum et aggressus sum et confeci. Denique ab eodem Bardilio etiam scripturae compendia, quibus ille codices singulos significare consuevit, mutuatus sum.

In altera parte pervestiganda, hoc est in historicis quaestionibus, quamquam exspectationi iudicum praestantissimorum cumulate respondi, tamen vereor, ne alii iusto plura hic allata esse criminentur, alii rursus spem se frustratam questi multa a me requirant. Dixerit enim quispiam, quae de fide Cornelio Nepoti habenda, quae de nobili Alcibiadis genere deque aliis quibusdam rebus disputaverim, parum cadere in propositam quaestionem. Horum tamen iudicium minus equidem extimesco, quam illorum, si quos forte spes fefellerit, haud iniquam reprehensionem. Nescio enim an futuri sint, qui de Hermis mutilatis et de profanatis mysteriis non diligenter copioseque a nobis disputatum esse mirentur. Quorum ego virorum animum explere certe non dubitassem lubenterque illam quoque duplicem operam in me suscepissem, nisi iterum mihi illud obstitisset, quod iam semel, quominus scribendi libidini libere indulgerem, impedimento fuisse ostendi. Altero enim tanto huius libelli moles accrevisset, si illas res tam magnas hic tractare voluissem, praesertim quum multi viri docti, qui adhuc his ipsis operam impenderunt, scribendi materiem atque molestiam haud paullo augerent. Quamobrem de hisce rebus omnino tacere, quam parum dicere malui. Veruntamen si quando per rationes studiorum, ad quae potissimum me contuli, theologi-

corum, quasi deflectere a via licebit atque si mihi animum addent ii, penes quos est de me iudicandi potestas: tum vero alias etiam Cornelii Nepotis vitas vel totum Cornelium similiter, atque hanc vitam nunc, edere olim constitui. Tum scilicet illud quoque mihi curae erit, ut, quae de reliquis vitae Alcibiadeae partibus a me conscripta adhuc repressi et ne sic temere exirent, vetui, ea etiam cum Viris doctis communicentur.

Scribebam Rostochii Calendis Juliis a. MDCCCXXXIII.

PARS PRIOR.

QUAESTIONES CRITICAE.

CAPUT I.

Namque imperator fuit summus et mari et terra] Titzius cum Scheffero haec vv. tanquam non a Cornelii manu profecta uncis notavit, contraria ea putans iis, quae in reliqua Alcibiadis vita atque apertius in vita Thrasybuli sint scripta, ordinemque praeterea descriptionis intempestive interrumpi. Sed egregie, ut mihi quidem videtur, viri doctissimi falluntur. Ut enim illud omittamus, quod in eos cadere solet, qui vitas scribendas suscipiunt, quod, ut in quoque viro magno describendo versentur, eius in laudibus efferendis, incredibili admiratione capti, modum saepenumero transeant: examinato Thrasybuli loco et cum nostro collato hunc optime se habere neque ulla medicina egere, facile intelligetur. Nam Thrasyb. I, 1. haec sunt: „Peloponnesio bello multa hic (*Thrasybulus*) sine Alcibiade gessit, ille nullam rem sine hoc, quae ille universa naturali quodam bono fecit lucri.“ Quod si ponimus in omnibus expeditionibus pugnisque Alcibiadem collegam im-

perii habuisse Thrasybulum, quamvis bonum imperatorem hunc fuisse non infitiemur, summus tamen imperator Alcibiades suo iure dicitur, i. e. imperator, non ille omnium praestantissimus, sed omnibus partibus absolutus summaque laude dignus. Sed illa Cornelii in Thrasyb. verba non sunt ita accipienda, quasi nihil omnino Alcibiades sine Thrasybulo gesserit: respicitur enim ad illud tempus, ex quo Alcibiades, in patriam restitutus, Thrasybulo et Therameni collega adscriptus est. (Alc. V, 4). Manifesto enim illa, quae sunt in Thrasybulo, referri non possunt ad tempus, quo Alcibiades apud Lacedaemonios ingenium et virtutem militarem comprobavit. (Alc. IV, 7). Sed ne tunc quidem, quum simul cum Thrasybulo imperio fungeretur, nihil sine hoc gessit. Infra enim a nobis demonstrabitur ad Chalcedonem et Abydum absente Thrasybulo vicisse Alcibiadem. Cf. Pars II. cap. 6. In reliqua autem vita Alcibiadis tantum abest, ut locos inveniamus, quibuscum haec verba, quae defendenda suscepimus, pugnent, ut multi sint, qui egregie ea tuentur. Cf. IV, 7; VI, 2 fin. Atque peritum se esse rei militaris ante proelium ad Aegos Flumen commissum ostendit, ubi, quum eius consilium auxiliumque a Philocle, duce Atheniensium, recusatum esset, ingenti clade Athenienses affecti sunt. Cf. VIII, 1 seqq. ibique imprimis vv.: „etsi vere dictum Philocles animadvertebat" cett. Si quis nihilominus imperatoriam Alcibiadis virtutem addubitare audeat, relegandus est ad Diod. Sic. XIII, 68 (*κατὰ τὴν στρατείαν ἄριστος*), Plin. Hist. N. XXXIV, 12. Plut. Alc., ubi multis locis summopere effertur et *τελειό-*

τατος στρατηγὸς καὶ κατὰ γῆν καὶ κατὰ θάλατταν νικῶν appellatur. At intempestive illis verbis descriptionis ordo interrumpitur? Ne hoc quidem concedendum. Praeclare enim haec vv. explicandis iis inserviunt, quae antecedunt: „ad omnes res aptus consiliique plenus.“ Et quum mox audiat bonus orator, quidni conveniat, si etiam bonus imperator fuisse dicitur? Neque omnino in hac universa descriptione certum quendam et strictum narrandi ordinem sequitur scriptor, sed omnia, ut eius mos est, negligenter et iucunde miscens praestantissimam morum ingeniique Alcibiadis imaginem exhibet. Praeterea quum neque codices ne levissimum quidem indicium contineant, quo suspecta illa vv. reddantur, aut omnis vita eiicienda, aut haec verba retinenda sunt.

et mari et terra] Sic, non „mari et terra“, secundum codd. Leid. Ax. Gu. legendum esse, plurimis quidem iisque haud contemnendis libris mss. atque editt. adversantibus, cum recentioribus interpretibus veteribusque nonnullis mihi videtur, quoniam Cornelius omnibus locis, ubi singularem singulis his verbis *mare et terra* vim se iniicere iam ipsa collocatione minus vulgari significat, haec ut augeatur etiam vis, duplicata illa particula *et* uti solet.

deinde, quum tempus posceret] Alii codd.: *dives* pro *deinde*. Ex quibus neutrum satis placere, libere fatendum. Voci *dives* enim, cui per se in hoc sententiarum nexu, ubi de ingenio moribusque Alcibiadis agitur, nullus locus est, quamquam interpretando ita aliquis posset succurrere, ut in ea la-

1*

tere notionem particulae *licet* vel similis alius suspicaretur, quemadmodum fere infra V, 4 *absens* pro *licet absens* dicitur: nihilominus tamen hanc construendi rationem h. l. impeditiorem et a Nepote alienam esse iudicaverim, quod non verbum sed iterum adiectivum sequatur. Quis enim est, qui pro: *quamquam dives erat, laboriosus tamen erat* dicat *dives laboriosus?* Alterum autem, quod libri mss. exhibent, *deinde* et omnes editores admodum languere viderunt, neque Cornelio usitatum est, nisi ubi aliquam rem post alteram factam esse indicat. Unde factum est, ut Lambinus, utroque vocabulo, et *dives* et *deinde*, reiecto, excudendum curaret *idem*: quem recte Brem. refutat, quoniam inter hanc et sequentem paragraphum oppositio sit. Quod vero Bremius legendum proposuit: *diligens*, non quidem incongruum esse h. l. illud adiectivum existimo, vereor tamen, ne, eo recepto, propter litterarum dissimilitudinem nimia vis codicibus afferatur. Quî autem post tot reiectas lectiones locus est emendandus? Ex omnibus quidem coniecturis eam mihi maxime placere fateor, quam ab initio a me primum profectam, nuper tamen a Daehnio iam prolatam esse, quamquam inde novum probabilitatis argumentum possum repetere, admodum dolebam: ut enim statuamus ab ipsa Nepotis manu non **DIVES** sed **CIVIS** scriptum esse, quae inter vocabula magnam intercedere litterarum similitudinem nemo non concedet. Non tamen, accepta hac coniectura, illud subst. *civis* cum adiectivis, quae sequuntur, „laboriosus" cett. coniunxerim, quum sic maxime languere videatur; sed cum iis, quae antecedunt,

„ut nemo ei dicendo posset resistere.“ Atque iam nescio an non aptius possit vocabulum coniectura inveniri. Nam cum civibus potissimum dicendi certamina iniit, cum his de republica administranda, de bellis vel inferendis vel componendis disputavit; Athenis maxime erat theatrum victoriarum oris atque orationis commendatione partarum. Ut unum e multis exhibeam, post Niciam, qui frustra dissuadebat, superatum belli Siculi auctor extitit. Cf. Thuc. VI, 8. Hanc dicendi facultatem extimescentes inimici, quum tempus Alcibiadi instaret in Siciliam proficiscendi, praesentem aggredi non ausi, tempus, quo exisset, expectabant. Cf. Alc. IV, 2. Ex eadem maxime factum est, ut nemo ei par *in civitate* poneretur. Cf. III, 5. Non mirum igitur, quod Nepos, ubi praecipue ille dicendo floreret, ibi neminem ei resistere potuisse commemorat. Eodem modo, quo hic Alcibiadem cum eius civibus tantum, Attic. XIX, 3 cum civibus Romanis Augustum comparat, quum dicat: „Conciliavit ei fortuna, quod nemo adhuc civis Romanus quivit consequi.“ Unde simul cognoscitur, coniunctionem illam duorum horum substantivorum *nemo* et *civis* non ita alienam esse a Cornelio. — Jam vero, unde vv. *dives* et *deinde* irrepserint, ita mihi explicandum videtur, ut primum *civis* sive de industria sive calami errore in *dives* mutatum esse ponamus, vocem *deinde* autem vel ex correctione, quod *dives* in hoc sententiarum ordine displiceret, vel ex praecedente v. *dicendo*, quod in uno alterove codice fortasse in fine enuntiationis collocatum erat, ortam esse indicemus.

CAPUT II.

privignus enim suus fuisse dicitur] Codd. Ax. Dan. Gu. Edd. Lamb. et recentt. *eius*. Praetulerim tamen, quod ceteri codd. exhibent, *suus*; quae quidem lectio a vulgari grammaticorum usu quam maxime, nihil tamen a more Corneliano recedit. Atque multo magis veri speciem prae se fert, illam lectionem *eius*, quam nostram *suus* librarii ingenio deberi, quibus quidem insolita cum solitis, non solita cum insolitis commutandi erat consuetudo. Cornelius usum pronominum sequitur non semper vulgarem et nonnunquam admodum singularem. Praesertim hoc pron. possess. *suus* nullus est scriptor, qui usus fuerit liberius, quod multis locis ita usurpatur, ut non pronominis reflexivi *sui*, sed demonstrativi *is* locum obtineat. Cf. Milt. I, 1. Cim. III, 3. Timoth. III, 4. Hannib. VIII, 4. Attic. X, 4; XVI, 4. Saepe eandem vim habet ac v. *proprius*, ut Lys. I, 2: „Non enim virtute sui exercitus, sed immodestia factum est adversariorum", quem locum noli cum Bremio (ad Cim. III, 1) ita explicare, ut praecedentia vv. „consecutus sit" Nepoti ob oculos versata esse dicas. Obstant enim alii loci, ubi simili ratione explicari nequit. Contra uno loco Attic. XII, 5 *eorum* scripsit, ubi secundum usum vulgarem *suis* efflagitatur. Hoc vero ideo uti noluit, quod, si *suis periculis* scripsisset, in dubio relictum esset, haec verba utrum ad Atticum essent referenda an ad eius amicos. — Mirum pronominis *ille* usum hic non possum quin adiiciam.

Est in Them. X, 2: „hic quum multa esset regi pollicitus, gratissimumque illud, si suis uti consiliis vellet, *illum* Graeciam oppressurum." Pronomen *illum* non esse ad regem Persarum, sed ad ipsum Themistoclem referendum, vel ex omni sententiarum perpetuitate, vel ex Thuc. I, 138, quem quum aliis, tum vita Themistoclis accurate et ad singula saepe verba Nepos expressit, intelligitur. En verba Thucydidis: *διὰ τὴν τοῦ Ἑλληνικοῦ ἐλπίδα, ἣν* (int. *τὴν Ἑλλάδα*) *ὑπετίθει αὐτῷ δουλώσειν.* Id quomodo factum sit, ut h. l. pronomine *illum* uteretur, duplici ratione explicare possis. Aut dicas enim evitandae ambiguitatis causa ita Cornelium scripsisse, ne quis, quum subiectum vocabuli praecedentis esset rex, in sequentibus etiam regem significari opinaretur, aut malis Nepotem cursum orationis quasi succidisse, subito memorem, Themistoclem esse primariam huius narrationis personam.

CAPUT III.

in oppido erant Athenis] Bos. quidem, ne postrema vox glossema esset, verebatur, quoniam Athenas oppidum absolute vocare soleret Nepos, ut Milt. IV, 2. Them. X, 3. Sed redarguit Bremius, qui interpretes ad Sallust. Catil. XVIII, 8 in iisque Cortium laudat, ubi vv. sunt: *post conditam urbem Romam.* Non vero ita certa est lectio, quum alii codd. habeant: *urbem Romanam.* Potuit laudari Attic. XX, 5 *urbis Romae.* Mihi quidem, ut fit in omnibus codd., v. *Athenis* videtur esse addendum. Cornelius enim compluribus quidem locis, ubi,

quam urbem significaret, satis ex omni sententiarum perpetuitate patebat, ad Athenas indicandas solo v. *oppidum* usus est; non vero ad solas Athenas. Nam nonnullis locis aliae quoque urbes eaeque primariae hoc v. significantur, ut *Sparta* Agesil. VI, 1. *Thebae* Pelop. I, 2. *Syracusae* Dion. IX, 1. Hanc autem urbem Syracusas, quum paulo ante Syracusanorum mentio facta esset, ut ne quis indicatam esse opinaretur, nomen urbis a Nepote diserte adiectum est.

deiicerentur] Imaginarius potius quam verus videtur esse, quem statuunt dissensum inter Cornelium aliosque scriptores, qui eiusdem rei mentionem fecerunt. Sic enim argumentantur: omnes praeter Cornelium in eo consentire, quod *περικοπὴν*, mutilationem Hermarum factam esse referant (Thuc. VI, 27. Dem. Mid. c. 40 ed. Buttm. Andoc. de myster. Tom. IV. p. 17. 19. 20. ed. Reisk. Lys. contra Alc. min. Tom. V. p. 252. 551. Reisk. Diod. Sic. XIII. 2. Plut. Alc. c. XVIII), a quo toto coelo distet Cornelianum hoc *deiicere*. Sed non viderunt illi, praeclare a Latinis v. *deiicere* circumcidendi, mutilandi, detruncandi significatione poni. Cf. Goerenz. ad Cic. Legg. II, 26. Quamquam hic minus recte, opinor, ita hanc vim explicat, ut veluti praegnantem eam esse iudicet. Ad ipsam enim verbi originem descendendum erit. *Deiicere* enim est iacere, movere de statu, quo antea aliquid fuerit, e solito statu pellere, deinde corrumpere, mutilare. Non semper igitur est: de alto praecipitare, humi prosternere. Cf. etiam Virgilianum illud: crinibus deiectis. Non igitur suspican-

dum ex v. *deicerentur*, quod multis codd. legitur, scripsisse Cornelium *deciderentur*, quum illa vv. cum v. *iacio* composita fortasse ipsi veteres una tantum littera i scripserint. Cf. Duker. ad Flor. I, 10 n. 5. Accedit quod Ampelius etiam, qui in libro memoriali, ubi de clarissimis ducibus Atheniensium agit, omnino Nepotis auctoritatem sequitur, ita ut excerpsisse Nepotem videatur, Alcibiadem propter *detruncatos* nocte Mercurios reum factum esse narrat. Recte igitur, quid illo v. voluerit Nepos, ille intellexit.

qui ante ianuam erat Andocidi, Andocidique vocitatus est] Plerique vulgati: *qui ante ianuam eius erat, Andocidesque vocatus est.* Quibus in vv. duplex deprehenditur vitium, alterum quod ab omnibus scriptoribus traditur, hunc lapidem prope domum non Alcibiadis sed Andocidis fuisse, alterum quod non Andocides sed Andocidis Hermes vocatus est. Cf. Andoc. de mysterr. T. IV. p. 30 ed. Reisk. Plut. Alc. p. 201. Nic. p. 531. de X Orat. Tom. II. p. 834. Harpocr. sub v. Ἀνδοκίδου Ἑρμῆς. Unde Lambinus sic corrigebat: *qui ante ianuam Andocidis erat, Andocidisque Hermes vocatus est.* Recte quidem ad sensum, male ad codicum fidem. Merito igitur hanc coniecturam reiecit Bardilius, qui, nitens auctoritate codicis P. Daniel. (*erat Andocidi, itaque ille postea Mercurius Androcydes vocitatus est*) et editionis Ult. (*itaque ille postea Mercurius Androclidis vocatus est*) ita legere suadet: *qui ante ianuam erat Andocidi. Itaque ille postea Mercurius Andocidis* (vel *Andocides*) *vocitatus est.* Sed haec quoque minus placet lectio, ut libris non satis fir-

mata. Quamquam enim illud Bardilio largiendum est, saepe librarios, quum vox aliqua in eadem periodo bis occurreret, festinatione vel errore, quae interiacerent, omisisse: verum tamen h. l. tale aliquid factum esse, quum ita statuamus non necesse sit, plane negandum est. Potius haec verba: *itaque ille postea Mercurius*, quae in uno tantum codice et in una editione inveniuntur, maxime videntur suspecta et librarii commentum olent. Facillime enim fieri potuit, ut librarius, qui sciebat, postea demum ita dictum hunc Hermen, quam ceteri deiecti essent, neque videbat, iam satis illud ipso tempore pf. *vocatus* sive *vocitatus est* indicari, luce clarius hoc expressurus vv. illa adiecerit. Certo enim Cornelius, si iam antea Andocidis illam statuam vocatam esse significare voluisset, impf. usus esset: id quod nescio quomodo Bardilium fugit, qui ex iis tantum, quae in cod. Dan. et ed. Ult. adiecta sunt, illud, quod postea demum sic vocaretur, colligi iubet. Praeterea glossematis suspicionem auget v. Mercurius, quod an omnino hoc sensu legatur, dubium est. Quocunque enim loco lapides illi quadrati commemorantur, Hermarum vocabulo scriptores utuntur, ut Cic. Legg. II, 26; ad Attic. I, 4. Neque illud in medio relinquere debebat Bardilius, Andocides legendum sit an Andocidis, quum vetari nos nominativum praeferre, sed genitivum unice verum iudicandum esse, e Graecis scriptoribus supra allegatis satis liqueat. Sed multo propius ad verum quam Bardil. accessisse videtur Daehnius, qui ita vult legi: *a. i. e. Andocidis, Andocidisque vocitatus est*, ad fidem cod. Oxon. exhiben-

tis: *Androclidi, Androclidique vocatus est*, consulto quoque Guelph. *qui ante ian. erat, Androclydes vocitatus est*, quibus addi poterat cod. Boecl. *qui ante ianuam erat, Andocides vocitatus est.* Sic enim optime, quam plerique codd. habent lectionem: *q. a. i. eius erat, Andocidesque (Andocidisque) v. e.*, quomodo orta sit, fingere poterimus. Duplex enim v. *Andocidis*, ut fit, semel tantum a librariis scriptum est. Alii autem ad explicanda vv. *qui ante ianuam erat*, quae eorum erat historiae incuria verborumque tantum cura, v. *eius* inseruerunt, quod revera in nonnullis mss., ut in cod. Boecl., deest. Hoc quoque in Daehnii lectione egregie placet, quod v. Mercurius s. Hermes, tanquam glossema, respuitur. Cuius vocabuli de fide iam eam ob causam dubitandum, quod diverse scribitur, modo Graeca illa voce, modo Latina. Quibus omnibus consideratis haud cunctabundus in Daehnii sententiam abirem, nisi paullo potiorem persuasum haberem hanc esse lectionem: *Andocidi, Andocidique vocitatus est*, nota illa genitivi forma [1]). Quam ut veram esse statuamus, compellimur optimis collatis codd., in iis cod. Oxon. *Androclidi, Androclidique*, Voss. B. *Androcly* et ipso cod. Dan. *Androcidi* cet. Suspicandum igitur, librarios, quum legerint, omissa repetitione nom. proprii, *ante i. erat Andocidi v. e.*, formam illam genitivi ignorantes, aberrasse in varia illa, quibus sensui se mederi somniarent, inventa. Hac

1) Praeter interprr. ad Cornel. Themist. I, 1, cf. de hac genitt. nomm. pr. 3. decl. terminatione Zumpt. ad Cic. Verr. IV, 2, 4. Simillimum huic v. *Andocidi* est *Timarchidi* Verr. II, 44; 54. Adi etiam III, 66.

coniectura assumpta Bardil. poterit deponere sollicitudinem, quod genit. eiusdem nominis bis deinceps positi diverso modo desinat, neque Bremius amplius cogitur, ut priorem formam pro dativo habeat et ita infelicissimam structuram in Cornelium conferat, quum genitivus etiam ad locum, quem in enuntiatione obtinet, maxime e more Corneliano sit. Illud etiam nostram lectionem prae Bardiliana commendat, quod ex nostra sequens enuntiatio: *hoc quum appareret* cett. facillime cum praecedentibus coniungitur, e Bardiliana vero multo difficilius propter interpositam enuntiationem.

plures etiam] Disceptatur inter viros doctos de v. *plures*, ponaturne pro vv. *complures*, *multi*, *nonnulli*, an semper vim comparativam retineat. Apud Cornelium quidem fieri, ut vi comparativa deposita locum illorum adiectivorum occupet, equidem plane nego. Nostro loco vix iuvat demonstrare, illud *plures* vere esse comparativum. Sed illis ipsis in locis, ubi primum legenti idem esse atque *multa* videtur, non potest non agnosci aut relatio ad totum aliquid, quod vel antea significatum vel intelligendum est, et cuius partem maiorem indicat, aut latens aliquod subiectum, quocum comparetur. Aut quis sit tam pertinacis animi, qui, ut exemplis utar, in praef. 8: „sed hic *plura* persequi" cett. et in fine vitae Catonis: „huius de vita et moribus *plura* in eo libro persecuti sumus" negare audeat, vocabulo *plura* vim comparativam inesse? Facile enim in utroque loco suppletur: quam quae persecuti sumus. Neque in illo loco quidem, qui est Attic. XVII, 1 cum Bremio consentio, vv. „quid plura commemo-

rem“ idem valere atque „quid multa commemorem“ affirmante. Evolve enim totum locum: „De pietate autem Attici quid plura commemorem? quum hoc ipsum vere gloriantem audierim“ cett. Non procedit oratio, ut debebat. Desideramus enim aliquid, quum minus perspicuum sit, quae intercedat enuntiationi posteriori cum priori coniunctio. Quid enim? Eam ob causam, quod eum illud, quod mox sequitur, vere gloriantem audierit, non vult plura commemorare? Qui iste nexus sententiarum? At plene scribendum erat, non: „quum — audierim“, sed: „quum sufficiat hoc unum commemorasse, quod ipse me praesente vere gloriatus est.“ Jam intelligitur, et quomodo inter se cohaereat narratio, neque comparativum *plura* quidquam de propria sua vi et potestate perdidisse.

CAPUT IV.

in concione] Quamquam hanc Claudii Puteani coniecturam neque historiae fides neque unius cod. Ax. (*contione*) auctoritas neque virorum doctorum assensus deficit, a nemine tamen adhuc interpretum demonstratum est, quomodo fieri potuerit, ut v. *concione* s. *contione*, notissimum illud, corruptum sit in v. *contentione*, praesertim quum librarios saepe quidem unam vel plures litteras, brevitatis studio, in medio v. omisisse, non vero, ubi intelligerent vocabulum, praeter necessitatem adiecisse constet. Convenientibus igitur omnibus codd. in v. *contentionem* sive, quod ad scripturam idem est, *contentione*, magna oritur suspicio, nec illud quidem cod.

Ax. *contione* aliud quid esse, nisi scribendi compendium pro: *contentione*. Jam videbimus de verbo. Legitur enim in aliis libris *compellebatur*, in aliis *compellabatur*. Quorum illud quominus probemus, ipsa res, uti ab aliis scriptoribus refertur, impedit. Ut igitur de latinitate formulae: *in contentionem compellebatur*, quae idem sit atque: *ad dicendam causam cogebatur*, taceamus: apud neminem invenimus, Alcibiadem ab adversariis quasi obtorto collo ad dicendam causam tractum esse. Longe praeferendum igitur est illud *compellabatur*, quod codicibus optimis neque paucis commendatur. At neutiquam, sive *in contentione* sive *in contentionem* leges, bene convenient haec verba cum v. *compellabatur*. Ablativum Schottus defendebat. Qua in lectione nescio quid magis displiceat, ipsa phrasis an Schotti interpretatio, ita explicantis: *in lite appellabatur*. Vereor enim, ut per se illud v. *contentio* possit intelligi de lite forensi, quin etiam ut omnino n. l. possit intelligi. Certe, si quidem litem forensem non indicat, languidius et magis supervacuum aliquid verbo *compellabatur* additum non potest cogitari, quam illud: *in contentione*. Non magis ferri potest accusativus, omnisque salus iterum est in coniectura quaerenda. At nihil aptius excogitari posse videtur, quam legere: *cum contentione*. Contentio enim nonnunquam est oratorum acriter et alta voce coram concionibus dicentium. Cf. Cic. Offic. I, 37, ubi late de hac vocabuli significatione a Cicerone exponitur. *Cum contentione—compellabatur* est igitur: acriter et cum clamore ab inimicis compellabatur. Facillime, quomodo illud *cum contentione*

commutatum sit cum vv. *in contentione*, explicari potest. Praepos. *cum* enim propter initium sequentis vocabuli a librariis omissa est, v. *in* autem ex praecedente v. *crimine* natum vel explicandi causa verbo *contentione* additum est.

noceri non posse] Alii *nocere*, quod ab Heusingero Titzioque defenditur allatis ex ipso nostro scriptore exemplis, quibus pronominis reciproci omissio comprobetur. Cf. Bardil. ad h. l. Sed horum codicum numerus, qui act. *nocere* habent, est tam exiguus, ut vix credas a Cornelio esse illud profectum. In altera autem lectione: *quia noceri non posse intelligebant* quum a quibusdam aegre obiecti significatio desideraretur, vario modo lectioni mederi studuerunt. Lambin. pro sua temeritate duas voculas inseruit: *nocere se ei non posse*. Mosche cod. Ax. lectione: *qua re noceri* ductus, neque intelligens hanc sic esse explicandam: *quia noce*$\frac{re}{ri}$, coniecit: *quia ei noceri*, quae coniectura etiam propter acerbum vocalium sonum minus placet quam Bardiliana: *quia noceri ei*, unde facillime apparere vult, cur in aliis libris *noceri*, in aliis *nocere* expressum sit. Mihi autem multo facilius illud fieri videtur, si proprie scriptum esse, non *noceri ei*, sed *nocere ei* ponamus. Hoc enim plane continetur lectionibus codicum: *noceri*, *nocere*, *qua re noceri*. Atque pronomen *ei*, quomodocunque lectionem constituis, deesse nullo modo potest; minime autem necessarium est pronomen *se*, quamquam Lambinus ubique in huiuscemodi locis apud Ciceronem solet addere.

quo, si exisset, ut absentem aggrederentur] Hanc lectionem omnes codd. tuentur praeter Leid. 1,

qui, referente Heusingero, omittit v. *ut*, omnesque ante Lambinianam editiones. Quae verba corrupta esse quum nemo non videret, varie, quomodo sensui mederentur, cogitarunt viri docti. E quibus Bosius proponit: *quo sic exisset*, *ut absentem aggrederentur*, h. e. quo tam longe recessisset Athenis, ut tueri se non posset; Lambinus autem voluit: *quo exisset*, *ut sic absentem aggrederentur*, quorum virorum ille quidem nimis ab usu latinitatis, hic a codicum lectione videtur recessisse. Heusingerus autem sequitur cod. Leid. 1, quum edat: *quo*, *si exisset*, *abs. aggr.*, quae lectio ex mea quidem sententia operosa est et a facilitate Cornelii abhorret. Unde codicum omnium praeter unum consensu sic utendum esse existimo, ut una litterula addita aliaque transposita sic emendemus: *quo ipse exisset*, *ut abs. aggr.* Hanc sententiam nemo certe reprehendet. Potuerit etiam aliquis suspicari: *quo secessisset*, *ut abs. aggr.* Alteri tamen coniecturae palmam defero.

in navem ascendit] Nihil dandum est lectioni Ultr. *conscendit*, vel eam ob causam, quod, ubicunque hac voce Cornelius usus est, non solet cum praepositione sed cum solo accusativo eam coniungere. Cf. Hann. VII, 6. Dat. IV, 3. Contra *ascendere* semper cum praepositione coniunctum est. Them. VIII, 6. Epam. IV, 5. Quamquam alii aliam rationem scriptores sequuntur, ut Caes. B. G. V, 7. *milites conscendere in naves* iubet. Cic. ad Famil. XII, 14. in. XIV, 7. *Adscendere navem* apud Terent. Adelph. IV, 5, 60. Ceterum hoc inter utrumque vocabulum discrimen plerumque in-

tercedere observavi, ut, si quis primarias in nave partes agat vel navis imperio fungatur vel unus ex alicuius navis classiariis sit, is navem *conscendere* dicatur, *ascendere* vero is, qui nullius in nave momenti ut captivus vel fugitivus ea vehatur.

id quod usu venerat] Miror haec vv. nemini interpretum fuisse offensioni. Eo enim quod hoc posterius (Eumolpidas sac. a pop. esse coactos — in publico) verbis *id quod usu venerat* i. e. acciderat interiectis verum esse dicit, tacite falsum esse illud prius (se capitis — publicatis) declarat. Verumtamen utrumque vere acciderat. Jam posses ita explicare, ut *id quod usu venerat* idem sit atque *id quod usu traditum erat, moris erat* Athenis, nisi duae res huic interpretationi officerent. Primum enim illud *usu venerat* hoc sensu saltem apud Cornelium nullo loco invenitur, deinde nulla habemus exempla, quibus iam antea talem ab Eumolpidis devotionem factam esse confirmemus. Quibus consideratis nihil reliquum esse videtur quam ut statuamus, excidisse voculam quandam, ut *raro, nunquam*, similemve. Sic c. VI, 3: *id quod nunquam antea usu venerat.*

prodesse posse] Posterius vocabulum nonnulli codices omittunt. Sed eiectus est Alcibiades expeditione Sicula paullo ante suscepta. Hic nondum profuerat Alcibiades, *poterat* vero, ut magnus imperator, plurimum prodesse. Ex his patet, v. *posse* necessario requiri maleque a Bremio in dubitationem vocatum esse. Cf. etiam c. III, 5: *quod et obesse plurimum et p r o d e s s e p o t e r a t.*

CAPUT V.

id Alcibiadi] Omnes adhuc Cornelii interpretes singularem hanc verbi *celare* structuram mirati sunt, quae prorsus ab ingenio linguae Latinae abhorreat. Fuerunt qui eam defendendam susciperent allato ex auctore belli Alexandrini exemplo c. VII: „*quod neque celari Alexandrinis* possent in apparanda fuga." Hoc autem loco quum in aliis codd. inveniatur *Alexandrini* et *Alexandrinos*, suspicio oritur, vel merum glossema esse hoc vocabulum vel certe casum tertium iniuria receptum. Unicum igitur huiusmodi constructionis per totam latinitatem, ab antiquissimis inde usque ad aenei aevi scriptores, hoc apud Nepotem extaret exemplum, quod ita mihi ab ingenio linguae Latinae abhorrere videtur, ut ne Cornelius quidem, quamvis rariora et singularia adamans, sibi indulsisset. Accedit quod in reliquis locis v. *celare* legitimo semper modo cum gemino accusativo coniungit: Eumen. VIII, 7. Hann. II, 6. Quibus rebus pensitatis Heusingerus eo adductus est, ut sequentis vocis *diutius* primam syllabam adiectam esse praecedenti vocabulo opinaretur. Nos tamen, quum haec coniectura probabilitatis speciem minus videatur prae se ferre, totam vocem expungendam esse persuasum habemus et sic scribendum: *id diutius celari non potuit* int. Alcibiades. V. *Alcibiadi* facile addi potuit in margine ab interprete parum docto, deinde autem a librario perspicuitatis amantiore inter ipsa scriptoris verba receptum est.

CAPUT VI.

et — eius opera] Censuerunt nonnulli, si vv. *eius opera* propria vi acciperentur, non bene congruere hanc sententiam cum ea, quae proxime sequeretur: *culpae suae tribuebant*, neque cum vv. Isocr. de Big. p. 549 τῶν ἐν τῇ συμφορᾷ γενομένων τοὺς ἐκβαλόντας αὐτὸν δικαίως ἂν αἰτίους νομίζοιτε. Unde illa vv. *eius opera* non tam stricte esse interpretanda, sed ita fere, quasi hoc persuasum fuisse populo scripsisset: *neque adversae superiores, neque praesentes secundae res sine Alcibiade accidissent*, ita ut Alcibiades rerum adversarum, ut ita dicam, modo passivo, rerum secundarum modo activo auctor fuisset. Sed videant ne ita interpretari per ipsa vv. *eius opera* vetentur. Praeter necessitatem viri illi doctissimi solliciti sunt. Bene enim Athenienses Siciliam amissam et Lacedaemoniorum victorias culpae suae tribuebant, et tamen persuasum habere poterant, adversas res superiores *eius opera* accidisse. Nisi enim eum eiecissent e civitate, non demigrasset ad Lacedaemonios, neque hi, eius consilio adiuti, tantas Atheniensibus clades intulissent. Haec tam clara sunt atque perspicua, ut vix operae pretium fuerit accuratius demonstrare.

arbitrari videbantur] Primo statim adspectu omnino reiicienda Bremii videtur sententia, nihil omnino verbo *videbantur* significari et idem esse atque solum v. *arbitrabantur* existimantis. Nihil enim quidquam absurdius facere potest scriptor, quam vocabulo eoque haud minuto uti, quod omni sensu carens non nisi numero explendo inserviat.

Atque potest etiam hoc v., ubi superfluum esse vult, bene sua vi explicari. Quomodo h. l. intelligendum sit, iam ipse Bremius quodammodo indicavit. Tametsi eius explicandi rationes minus satisfaciunt. Alterum enim, quod proponit, significari hoc v., quid de hoc Atheniensium iudicio aequales senserint, plane incongruum est atque alienum, quum nihil interesse potuisset Cornelii, ut referretur, quid illo tempore iudicatum, sed quid iudicandum esset de Atheniensium iudicio. Alteram autem explicandi viam ingressi, qua idem sit quod *sibi videbantur*, quamquam aliquoties pron. in hoc v. apud Ciceronem omissum est, itaque eius omissio etiam Nepoti facile condonatur, tamen gravitatem nescio quam sententiae inspergimus, quae tolerari nequit. Praeterea ubi tam ambigua fit sententia, omitti pron. non potest. Ideo vv. *videbantur arbitrari* liberius scripta esse arbitror pro: *ut videtur, arbitrabantur*, ita ut attractio quasi quaedam sit. Quod quidem non sine audacia a me prolatum esse pulchre scio. Sed Cornelius is est, qui tale aliquid commiserit, et sententiae, quae sic oritur, unice hic locus videtur esse. Nepos cum iudicio suo, quod proprie eo tempore ferre debebat, quo scripsit, ad pristina illa tempora, ubi Athenienses illud arbitrabantur, redit, quasi ipse praesens illa viderit. Non magis in reliquis locis v. *videri* supervacuum est. Ages. V, 2 haec sunt: *Hic quum una pugna decem millia hostium, Agesilao duce, cecidissent, eoque facto opes adversariorum debilitatae v i d e r e n t u r: tantum abfuit* cett. Quo loco suo iure v. *videri* positum est. Debilitare enim exercitum est eius vires ita frangere,

ut denuo aggredi non possit. Quod an non amplius possent adversarii, non statim post pugnam cognitum habere potuit Agesilaus. Accedit quod magna iudicandi prudentia urbanitasque Atticis familiaris fuit. Sic etiam Ages. III. extr. in vv.: *sic in Asia versatus est, ut omnium opinione victor duceretur* hoc v. *duceretur* non idem est, id quod esse Bremius docet, atque *esset.* Nondum enim bellum Lacedaemoniorum contra Tissaphernem Persasque confectum erat, qua de causa nihil certi etiam tum de futuro eius eventu poterat constitui.

potuerant] Unice vera est haec lectio, omnino improbanda altera illa *potuerunt*, quae in duabus editt. Arg. et Longol. inest. Referendum enim est verbum ad tempus, quo ita arbitrabantur Athenienses, ut modo narravit. Tunc vero illae victoriae Alcibiadis in integrum restituti iam praeterierant. Male igitur Bremius ad Themist. VIII, 3 plqpf. pro impf. scriptum esse coniicit, eadem ratione, qua, ut Heusingerus doceat ad Cic. Offic. III, 21, 4, *fuerat* saepe inveniatur pro *erat.* Namque res plane diversa est. Ubicunque enim illud plqpf. pro impf. dictum esse videtur, ibi non plqpfecti forma est, sed vere impfecti, ab antiquo praesente fuo, Gr. *φύω, φύομαι,* derivanda. Quomodo autem Brem. cuiuslibet verbi plqpfectum pro impfecto poni posse suspicetur, id quod suspicari videtur prolata illa sententia, huius rei ratio fingi nequit. Illud enim velle est omnem de temporibus doctrinam tollere.

CAPUT VII.

huic maxime putamus malo fuisse nimiam opinionem] Ne omnia, quae ad constituendam huius loci integritatem scripta et inventa sunt, retractem, meam de hoc loco sententiam breviter aperire satis habeo. Codd. enim optimi plurimique, inter quos Leid. Voss. A et B, sic exhibent: *huic maxime* (Voss. B *maximo*) *imputamus* (solus Voss. A *putamus*) *malo causam fuisse nimiam opinionem* cett. Unde illud certe apparet, v. *causam*, quum sit in omnibus codd. neque cogitari possit, cur additum sit a librariis, immerito esse a plurimis editoribus deletum. Jam totam enuntiationem sic lego: Itaque huic maximam putamus malorum causam fuisse nimiam opin. cett., quam sententiam optime in hunc locum quadrare nemo infitias ibit. Atque a codicum lectione minime recedit. Nam interpretes, quum recte viderint, imputandi vocabulum nullo modo ferri posse, officio satisfecisse sibi videbantur, si prima syllaba deleta ad unius cuiusdam codicis fidem scriberent *putamus*. Tamen illi syllabae aliquid subesse crediderim. At vero maxima intercedit similitudo inter vv. MAXIMEIMPVT. et MAXIMAMPUT., quamobrem non dubitamus scribere: *maximam putamus*. Praeterea levissima est correctio, eaque iam nonnullis viris doctis, ut Heusingero et Kappo, probata, quod v. *malo* cum v. *malorum* permutamus.

De aliis huius capitis locis difficilioribus disputabimus infra in quaestt. historr.

CAPUT VIII.

petere; Lacedaemonios cett.] Complures codd. (Voss. A. Ax.) inter utrumque vocabulum interiiciunt v. *respondent* s. *responderet*, unde in nonnullis editt., ut in ed. Magii sic receptum est: *Respondent Lacedaemonios* cett., prorsus inepte. In Gu. est *respondit*, quod, si ad superiora trahimus: *se coacturum — petere*, sensum quidem praebet (est: fidem interposuit), sed haec verbi significatio rarior est, praesertim apud Cornelianae aetatis scriptores, quam ut temere ei obtrudere audeamus. Potius, siquidem omnino eiicere dubitandum est, quum vix causa esset, cur insereretur, ita mihi de hoc v. visum est, ut corruptum esse putem e v. *sponte*, id quod eo facilius fieri poterat, quod antecedens v. syllaba *re* desinat. Lege igitur: *Sponte Lacedaemonios eo nolle confligere classe, quod* cett., atque vide quam praeclarus ita sensus oriatur: sponte Lacedaemonios pugnam navalem non commisuros esse, quod bene intelligerent se pedestribus copiis plus quam navibus valere, sed vi eo esse compellendos. Se igitur effecturum esse, ut a Seuthe, rege Thraciae, amico suo, terra depellerentur, quo facto cogerentur, ut aut classe confligerent, aut, si iis satius videretur, bellum componerent. — Sed possis etiam coniicere: *si vellent — pacem petere spondet*, non minus illud vel ad sensum vel ad codd. lectiones aptum.

CAPUT X.

vicinitati] Praeter Voss. A., qui tamen in margine habet vicinitati, cod. etiam Burgensis legit: *in civitatem*, praeterea sic pergens: *in qua erat — introeunt; quibus datum negotium, ut eum interficiant.* In quibus vel coni. praes. offensioni est. Sed omnino *civitas* non ferendum est, propterea quod, comparatis aliis harum rerum scriptoribus, non in civitate i. e. in urbe, sed in vico, *κώμῃ* (Plut. Alc. XXXIX. Diod. Sic. XII, 74) flammis daturi domum Alcibiadis cinxerunt. Omnibus igitur huius lectionis, ut ita dicam, resectis stolonibus, sic secundum codd. de lectione conventum est: *Missi clam vicinitati, in qua tum erat Alcibiades, dant negotium, ut eum interficiant.* Quorum in interpretatione verborum eo Staver. falsus est, quod vv. *missi clam* coniunxit, putans iis reddi Ephori (apud Diod. Sic. XII, 74) v. *ἐπαποστεῖλαι.* Nam de eo, quod missi erant, iam satis liquet, ut vix ad illud rediisse putandus sit, accuratius modum et rationem definiens. Illud autem potissimum cave, ne in v. *ἐπαποστεῖλαι* praepositioni significationem adverbii *clam* inesse putes, quum *ἐπαποστεῖλαι* significet: ita mittere aliquem, ut alium sequatur, alius vestigia premat. *Clam* pertinet ad vv. *dant negotium.* — De interpretando v. *vicinitati* non adstipulor iis, qui statuunt pro vico, incolis vici id dictum esse. Huius usus enim nulladum exempla inventa sunt; illos videlicet *vicanos* dicunt, non vicinos. Servat propriam significationem propinquitatis, ita tamen, ut

h. l. vicinitas pro iis dicatur, qui vicini s. in vicinitate sunt. Cf. Brem. ad h. l. Illud vero ne aegre patere, quod paullo insolentius perrexerit: *in qua*, quum dicendum fuisset: vicinitati eius loci, in quo cett. Eadem haec est brevitas dicendi, qua Latini et Graeci in comparationibus, quas vocant, figuratis uti solent, ut Justin. IV, 3 *ausi facinus nulli tyranno comparandum.*

conficerent] Ita omnes recentiores editores praeter Titz., qui ex editt. Arg. Longol. Mag. Voss. B aliisque codd. *conficeretur* maluit, quem equidem sequendum esse arbitror. Illud enim proxime non per ipsos, sed per incendium efficiebatur, id quod accurate solet a Nepote distingui. Cf. quod paullo ante legitur: et *violare* clementiam, quam regis opes *minui* maluit.

CAPUT XI.

conscierunt] Hoc v. multi cum Gebhardo offenduntur. Alii tamen, in iis Heusing., Brem., Daehnius, defendendum susceperunt, freti praecipue locis Liv. X, 18, 2; I, 32, 12. Non tamen concesserimus, quod illi volunt, plane idem esse atque *consentire*. Ut enim priorem locum, ubi facile aliquis, ut in senatusconsulto, ter idem expressum esse verbis: *censuit, consensit, conscivit* contendat, silentio mittamus: in posteriore, ubi senator: *consentio*, inquit, *consciscoque*, certo aliquid interesse inter haec vv. suspicandum est. Et re vera interest. Quae enim verbo *scisco* inest statuendi, legem edendi po-

testas, ea etiam in composito remanet, ita ut hoc quoque semper ad aliquam legem referatur. Est igitur: una statuere, idem cum collegis censere, ratum habere. De historicis igitur, qui in re aliqua narranda inter se non discrepent, vereor ut hoc v. possit usurpari. Quid autem codices? Praeter v. conscierunt alii exhibent *consuerunt*. Unde nonnulli, ut Titz., correxerunt *consenserunt*. Sed fortasse duae codicum lectiones ita coniungendae sunt, ut in unum v. *concinuerunt* coalescant, quod frequens est in hac consentiendi potestate. Cf. Cic. Nat. D. I, 7; II, 7. Plin. Hist. N. III, 1 extr. Finis periodi dactylicus ne te perterreat, quum a talibus criminibus non satis sibi cavere soleat Nepos. Cf. Them. I, 4. Conon III, 1.

omnes Athenienses — superasse vitae] Lambin. vv. *omnes Athenienses* delenda esse censet et reliqua vv. hoc modo transponit: *quum Athenis natus esset, splendidissimam civitatem splendore ac d.* cett. Sed hoc est sui, non scriptoris studiosum esse; corrigere scriptorem tanquam specimen a discipulo exhibitum, non emendare. In ed. princ. Paris. 1. 2. Mag. utraque vox omissa est, priorem tamen solam habent codd. Dan. Boecl. Leid. Voss. A. Ax. Gu. ed. Ultr. Atque inculcata esse potest posterior a librario, cui mox sequentia vv. *omnes Lacedaemonios vinceret* et *omnes enim Boeotii* ob oculos versarentur. Sed quidquid est, gravissimae sunt codicum auctoritates, quibuscum pugnare non licet, retinendumque prius v. *omnes*. Quamquam illud Bosio non largiar, non videre se confitenti, quomodo, utro-

que eiecto, sensus sibi constet. Absolute enim, ut vocant, poni posse hoc v. *superare* ipse Nepos nobis auctor est. Cf. Agesil. III, 6 *superare equitatu*. Caes. Bell. G. III, 14 *superare virtute*; V, 31. Liv. XXVIII, 30; XXXVIII, 36. Sed augetur etiam vis sententiae adiecto v. *omnes*.

PARS POSTERIOR.

QUAESTIONES HISTORICAE.

CAPUT I.

QUAERITUR DE FIDE, QUAE CORNELIO NEPOTI IN REBUS HISTORICIS HABENDA SIT.

Quamquam vitarum narratori pariter atque cuivis scriptori historico nihil est maiore diligentia et religione videndum, quam ut rebus actis neque addat de suo aliquid neque detrahat et quae ipse non viderit, ea ad certissimorum scriptorum testimonia ita conformet, ut nulla de eius fide dubitatio in legentium animis relinquatur, tamen non possumus diffiteri, salvis ceteris elegantissimi scriptoris virtutibus, Cornelium Nepotem illa laude, sine qua ne cogitari quidem potest probabilis rerum scriptor, non plane dignum esse, eoque, ubi de rebus historicis agatur, caute et prudenter uti nos debere. Qui quum gravissimis et fide dignissimis scriptoribus, Thucydide, Xenophonte, aliis, saepenumero laudatis, bonam de se existimationem fecerit; mox tamen, rebus quam potest accuratissime investigatis atque inter se comparatis, minus honorifice de eo

indicabimus, quem praeter necessitatem multo inferioris loci scriptores crebro secutum esse patet. Quid quod nonnunquam suspicio oritur, de suo ipsius ingenio nonnulla eum addidisse. Quod si quaesiveris, quomodo factum sit, ut is, qui scilicet omnia bene ponderasse vellet videri, tam multa vel manifesto falsa vel vix fide satis digna protulerit, huius rei causas tres potissimum invenies.

Primum neminem, vel mediocriter in legendis his vitis versatum, fugiet insigne Cornelii Nepotis studium, quod collocavit in imperatoribus suis quam maxime efferendis. Quum enim vitas scriberet imperatorum eorumque *excellentium* (cf. Praef. 7): nihil quidquam omittendum putavit, quo vere eos et unice praeter ceteros excelluisse ostenderet. Jam si ad tales formulas: *unus omnium maxime*, *neminem huic praefero*, *nemo huic antefertur* similesque, quae sexcenties redeunt, animum attenderis, praeconem potius effusa laudandi libidine elatum, quam prudentem et diligentem vitarum scriptorem audire tibi videberis. Neque raro Cornelius nimio isto laudandi studio abreptus est eo, ut, quae sibi contraria essent repugnarentque, tradere non dubitaret. Namque ut in cuiusque vita enarranda versatur, ita huic prae ceteris palmam solet deferre. Quod ut comprobemus et, quantum poterimus, luculenter evincamus, centena exempla non quaerentibus ultro se obtrudunt, e quibus pauca apponemus. Omnia enim pervestigare neque nobis propositum est neque gratum acciderit legenti, qui profecto miraretur, si hic vel ea omnia praeciperemus, de quibus infra copiose erit disputandi locus.

Them. II, 7: „id responsum quo valeret quum intelligeret nemo“ cett. At valde adversatur Herodoti auctoritas, plures una cum illo atque adeo ante illum id intellexisse diserte referentis [1]). Them. X, 1: „ut multo commodius dicatur apud Persas verba fecisse, quam hi poterant, qui in Perside erant nati.“ Credat Judaeus Apella, non ego. Longe aliter Thuc. I, 138: *τῆς τε Περσίδος γλώσσης, ὅσα ἐδύνατο, κατενόησε, καὶ τῶν ἐπιτηδευμάτων τῆς χώρας* cett. Quem secutus est Plutarch. Them. p. 126: *τὴν Περσίδα γλῶτταν ἀποχρώντως ἐκμαθών.* Tamen quanti Thucydidem faciat, quum aliis locis, tum bis in ipsa Themistoclis vita gloriatur. Ob eandem causam alto silentio, quidquid imperatoribus suis non satis dignum putaverit, omittit, ut in ipsa vita, quae huic libello suppeditavit materiam. Quum enim c. V de causis, cur Lacedaemonii irati fuerint Alcibiadi, disserat, illam, quae certe non est inter levissimas, quod Agidis regis uxorem, Timaeam, vitiaverat [2]), ne verbo quidem commemorat. C. VII de causis, cur iterum exsul fieret Alcibiades, eam solam idque satis obscure significat, quod apud Cymen minus e sententia rem gessisset, invidiosissima autem crimina reticet, quae praeter illud Athenienses ei exprobrasse alii scriptores perhibent [3]). Luculentum exaggerandi libidinis exemplum est c. VI, 3: „Alcibiades coronis aureis aeneisque *vulgo* donabatur.“ C. VIII, quum Alcibiades pollicitus

1) Cf. Herod. VII, 142.
2) Cf. Plutarch. Alcib. c. XXIII ibique Baehrius.
3) Cf. Xenoph. Hist. Gr. I, 5, 9. Diod. Sic. XIII, 74. Plutarch. Alc. c. XXXV.

sit atque gloriatus: se coacturum Lysandrum cett., sibi esse facile, Seuthen regem deducere cett., haec a Nepote adduntur: „Etsi vere dictum Philocles animadvertebat.“ Hoc vero, quum a nullo scriptore affirmatum legamus, credere non possumus. C. XI, 1: „summis laudibus extulerunt tres gravissimi historici, Thucydides“ cett. Unde hoc sumpsit, unde novit? Non modo summis, sed ne laudibus quidem a Thucydide Alcibiades effertur. Atque vix credibile, Thucydidem, non dicam in tam presso orationis genere tantaque sui immiscendi iudicii verecundia, sed hoc dicam, de cive tam malo tamque perdito virtutum longum quoddam praeconium historiae inseruisse. Nisi forte illum locum Thucydidis Cornelius indicat, ubi, quum exercitum oratione commovisset, ne, iratus propter seditionem Athenis factam, illic proficisceretur, hoc de Alcibiade Thucydides (VIII, 86) iudicat: *καὶ ἐδόκει Ἀλκιβιάδης πρῶτον τότε καὶ οὐδενὸς ἔλασσον τὴν πόλιν ὠφελῆσαι.* At nemo profecto in his verbis summas laudes inveniri opinabitur, in quibus gravis latet vituperatio, quod, quo ingenio erat et virtute, nihil antea patriae profuerit. Sed venimus ad alias vitas. Con. I, 2 causam cladis ad Aegos Flumen ab Atheniensibus acceptae eo removere studet a Conone, quod eum dicit tum abfuisse. Paulo post haec adiicit: nemini erat dubium, si adfuisset, illam Athenienses calamitatem accepturos non fuisse. At non aberat ille, sed adventantibus Lacedaemoniis, quum longe illos et navibus et copiis superiores esse vidisset, una cum decem navibus fugam capessens salutem quaesivit. Jam vero collatis aliquot inter

se locis incredibili taedio laudum Cornelianarum et nescio qua suspicione implemur. Thrasyb. I, 3: „Peloponnesio bello multa hic sine Alcibiade gessit, ille nullam rem sine hoc, quae ille universa naturali quodam bono fecit lucri.“ Cf. Alc. I, 2: „consiliique plenus. Namque imperator fuit summus et mari et terra“ et VI, 3: „Nam postquam exercitui praeesse coeperat, neque terra neque mari hostes pares esse potuerant.“ Porro Them. I, 1: „huius vitia ineuntis adolescentiae magnis sunt emendata virtutibus, *ut anteferatur huic nemo, pauci pares putentur.*“ Non aliter Marcus Tullius de Themistocle iudicat, qui pluribus in locis Themistoclem atque Epaminondam principes viros fuisse Graeciae confirmat. Cornelius vero principatum Themistoclis cum plurimis communicat. Thrasyb. I, 1: „si per se virtus sine fortuna ponderanda sit, nescio an hunc primum omnium ponam.“ Cum quibus locis compone, quae in Iphicr. I, 1 praedicat, quae magis inter se pugnent an cum aliis vel Cornelii vel aliorum testimoniis, haud ita facile diiudicaveris.

Accedo iam ad alterum crimen, quod fidei Nepotis historicae mirifice officit. Studet enim proferre res quam potest maxime memorabiles, novas atque inauditas. Ita factum est, ut ea, quae nota essent de viro aliquo illustri, persequi interdum nollet, diu autem haereret in rebus fortasse non saepe obviis, sed tamen haud magni momenti, ornandis et fortiter augendis atque amplificandis. Non possumus quidem commenta Cornelii ipsius manifesto deprehendere, aut si deprehendisse nobis vide-

amur, comprobare, quippe qui non omnes noverimus, unde hauserit, fontes. Illud vero certissime affirmare licet, non sine magna levitate eum omnes quamvis turbidos fontes secutum esse, certis autem et liquidis, qua erat augendi omnia cupiditate, non satis diligenter usum fuisse. Cuius in credendo levitatem iam veteres noverant, e quibus Plin. Hist. Nat. V, 1 haec habet: *Quaeque alia Cornelius Nepos avidissime credidit.* Ut igitur nova proferendi studium et inaudita comprobemus, argumenta quaedam afferenda sunt. Alc. IX, 3: „Pharnabazus, quem adeo sua ceperat humanitate, ut eum nemo in amicitia anteiret.“ Qualis haec fuerit amicitia, mox ipse Nepos nos docet (c. X), quum Pharnabazi iussu Alcibiadem legamus esse interfectum. Subrideas autem, ubi legeris in Thrasyb. I, 1: „Nam quod multi voluerunt, pauci potuerunt, ab uno tyranno patriam liberare, huic contigit, ut a triginta oppressam tyrannis ex servitute in libertatem vindicaret.“ Quo in loco quod ridiculum est, augebitur etiam comparato loco Timol. I, 1. Quae Epam. X, 1 referuntur: „In quo quum reprehenderetur, quod liberos non relinqueret, a Pelopida, *qui filium habebat infamem*“ cett., nova quidem sed non vera sunt. Huc pertinet etiam studium res, quae contrariae esse aut inter se pugnare videntur, coniungendi. Cf. Epam. VII, 4: „ut non minus illa oratione opes eorum concusserit, quam Leuctrica pugna.“ X, fin.: „ex quo intelligi potest, unum hominem pluris, quam civitatem fuisse.“

Accedit tertio loco, quod nonnunquam tanta festinatione tamque perverse iis scriptoribus, qui

spectatae fidei sunt, utitur, ut prorsus contrarium aut diversum atque illi dicat, quamvis accurate illos expressisse sibi videatur. Cuius generis illustre exemplum exstat Them. VIII, 3, qua in vita ad singula paene verba Thucydidem interpretatus est, et ipse hunc sibi potissimum ducem elegisse plus semel profitetur. Ibi haec leguntur: „ad Admetum, Molossorum regem, cum quo ei hospitium erat, (Themistocles) confugit.“ Jam interpretes observant, de hoc hospitio mirum apud ceteros scriptores esse silentium. Quid igitur? Remne tam dignam memoratu ab omnibus, quoscunque novimus, scriptoribus ne verbo quidem significatam esse. Nihilne huiusmodi a Thucydide, auctore et duce Cornelii, memoriae prodi? Sed evolvamus Thucydidem: *Ἄδμητον*, inquit, *ὄντα αὐτῷ οὐ φίλον* cett. (I, 136). Neglecta igitur particula *οὐ* hic causa caputque mali est. Milt. I, 1 seqq. aliisque huius vitae locis duos Miltiades confundit, maiorem et minorem. Pausan. V, 1 Thucydidis (I, 133) verba *ἐν τῇ ὁδῷ*, quae interpretanda sunt: *in via*, falso sic reddidit: *in itinere*. Quo Cornelii errore fit, ut narratio omnino non cohaereat. Aliud festinationis exemplum paene incredibile est in Phoc. IV, 3: *obvius ei fuit Emphyletus, quo familiariter fuerat usus*, ubi recte monent interpretes, *Emphyletus* minime Graecum nomen esse, in Graeco autem auctore scriptum fuisse *ἔμφυλός τις* (vel fortasse *ἐμφυλέτης*).

Quum igitur triplex deprehendamus vitiorum genus, primum quod imperatores suos dicendo nimis extollit, alterum quod singularia, nova ideoque iucunda vero saepe neglecto affectat, tertium quod

mira interdum festinatione scriptoribus Graecis utitur: facile quis in hanc opinionem inciderit, Cornelio fidem habendam esse plane nullam, sed omnia, in quibus ab aliis dissentiat, ficta esse et commentitia. At vero non, si quaedam apud Diodorum minus conveniunt cum Thucydide, aut si Plutarchus nonnullis locis a Xenophonte dissentit, idcirco vel Diodorum vel Plutarchum nullo in numero putamus planeque contemnimus. Non usque eo desperata est causa Nepotis, ut non multi loci, in quibus discrepare ab aliis videatur, vel excusari possint vel etiam defendi. Atque ego quidem Alcibiadeae vitae exemplo satis mihi videor docuisse, quomodo hic scriptor, saepe iniuria contemptus, defendi possit et ab omni culpa liberari. Jam enim id maxime agimus, ut profecti a Cornelio sine ulla cupiditate difficultates et dubitationes, quas Alcibiadis vita multas habet gravesque, eas removere atque adeo tollere studeamus.

CAPUT II.

QUIBUS EX FONTIBUS VITAM ALCIBIADIS CORNELIUS PETIERIT.

Qui ipso capitis XI. principio haec verba legerit: „hunc, infamatum a plerisque, tres gravissimi historici summis laudibus extulerunt: Thucydides, Theopompus — et Timaeus —. Namque (int. Theopompus et Timaeus) ea, quae supra diximus, de eo praedicarunt“ cett.: facile eo adducetur, ut de fontibus, iam ab ipso Nepote abunde indicatis

amplius neget quaerendum esse. Male. Cogitanti enim, quid cuique horum scriptorum debeat, plane constabit, unum ex his, id quod incredibile dictu est, quoniam in aliis vitis pia quadam eum sequitur religione, Thucydidem illum mirifice a Nepote esse neglectum neque quidquam, ut videtur, curatum, et praeter hos tres, quos commemoravit, alios quoque esse adhibitos. Quum igitur illis verbis quaestio de fontibus ad liquidum non perducatur, eorum cognitio autem plurimum faciat ad multos locos accuratius intelligendos certiusque diiudicandos, satius duxi diligentissime de hac omni re exponere, quam intactam relinquere.

Thucydides quum bellum Peloponnesium non enarret nisi ad annum usque Ol. XCII secundum, neque, ut par est, copiosius de vita Alcibiadis exponat, quam ipsa historiae scribendae perpetuitas postulat, hunc scriptorem non potuisse a Cornelio adhiberi apparet, nisi brevi illa vitae particula, ubi agat de rebus ab Alcibiade per illud belli Peloponnesii tempus gestis, i. e. capp. III, IV et V dimidio. Sed hic quoque nonnulla leguntur, quae frustra apud Thucydidem quaesiveris, alia autem vel contraria Thucydideis. Quae enim c. IV habemus: „inde primum Elidem, deinde Thebas venit" non possunt ex Thucydide esse deprompta, quum de variis his Alcibiadis itineribus, quae antequam Lacedaemonem venit ingressus est, ille omnino taceat. Eodem capite a Thucydide dissentit eo, quod, quum ille propria nave, comitante Salaminia, a Sicilia solvisse eum diserte referat, hic ipsam Salaminiam ascendisse dicat. C. V de Pisandro haec

exhibet: „Erat enim eodem, quo Alcibiades sensu, populi potentiae non amicus et optimatum fautor." Thucydides autem in ea oratione, quam a Phrynicho coram exercitu Atheniensium habitam fingit, hunc ducem ita facit de Alcibiade loquentem, ut neque optimatum neque populi imperio favere Alcibiadem, sed quaecunque administrandae reipublicae forma placuerit perinde ei esse ostendat, ac denique de suo adiicit, verissime sic Phrynichum de Alcibiade statuisse. Cf. Thuc. VIII, 48. Neglexit autem Thucydidem in hac vita fortassis ideo, quod is non uno in loco ad describendum aut certe sequendum commodo, sed multis in locis passim de Alcibiade disseruit.

Quum igitur e Thucydide exiguus aut plane nullus ad hanc quidem Nepoti vitam fructus redundaverit, primum unde illa manaverint, quae tribus illis capitibus contineantur, examinabimus. Ipsis autem verbis cap. XI: „namque ea, quae supra diximus, de eo praedicarunt," primarios hos duos scriptores, Theopompum et Timaeum, et tantum non unicos in hac vita duces fuisse significatur. Sed e Theopompo illa capita fluxisse nequeunt, utpote qui pariter atque Xenophon res narrandas ibi denuo excipiat, ubi Thucydides eas finivit, Ol. XCII, 2. Cf. Diod. Sic. XIII, 42. Quod si alteruter eorum scriptorum, quos praeter Thucydidem commemorat, auctor habendus est, solus reliquus est Timaeus, cui multa ex tribus illis capitibus deberi admodum probabile est. Is enim quum res Siculas memoriae proderet, in quo libro ipsum Thucydidem atque Philistum a se superatos esse gloriatus est, si quis

alius, occasionem habuit de Alcibiade, duce expeditionis Siculae, plura perscribendi.

Quas autem in vita Alcibiadis ex hoc scriptore res petere non potuit, eas maximam partem Theopompo deberi non solum locus ille cap. XI saepius laudatus et paene decantatus, sed etiam accurate facta Cornelii cum aliis earundem rerum scriptoribus contentio, qui vel eundem Theopompum secuti esse videntur, vel quos, ut Xenophontem, Nepos non secutus est, egregie comprobant. Illud enim notandum, multis in rebus enarrandis ita Cornelium versari, ut Xenophontem ob oculos non habuisse perspicuum sit, eundem tamen cum Diodoro Siculo, qui quidem Theopompum atque Ephorum prae se fert auctores, bene consentire. Cf. Alc. c. VIII cum Diod. Sic. XIII, 105 et Xenoph. Hist. Gr. II, 1, 14, praeterea Wesseling cum Palmerio ad l. l. Diodori. In hunc censum etiam illud venit de Theramene et Thrasybulo vel Aristocrate, de qua re quum infra (Cap. VI) fusius disputaturi simus, hic illud monuisse sufficiet, quod, etsi Cornelii potest cum Xenophonte consensus effici, ille tamen hunc secutus esse nullo modo potest. Multa denique habet Cornelius, quae apud Xenophontem desunt, ut illam de morte narrationem, res ad Cymen gestas cett. Cf. etiam Lambin. ad Corn. Nep. Alc. n. 130 [1]).

Ecquos praeter Theopompum et Timaeum scri-

1) Theopompum etiam aliis in vitis idque ad verbum sequitur, ut in Chabr. c. III exeunte, ubi Theopompi narrationem redditam esse ex Athenaeo XII. p. 532. B intelligitur. Falso igitur Ephorum auctorem appellat Lambinus.

ptores adhibuerit, de hac re non poteris amplius dubitare, si illud memineris, quod c. II Platonis Symposium (p. 217) laudatur. Atque eodem Platone saepius in duobus capitibus primis, quum de vita privata Alcibiadis et moribus exponat, videtur esse usus.

E Satyro an re vera hauserit, ut accuratius perpendamus, commovemur iis, quae c. XI leguntur, collatis cum verbis Satyri apud Athenaeum XII. p. 534 B. Hic enim quum exponatur, quam in omnes formas se converterit Alcibiades et quam valde, ut apud quemque populum versatus fuerit, ita se eius institutis accommodaverit, tam presse Satyri vestigia sequi videtur, ut vix fieri posse credas, quin illum noverit. *Λέγεται,* sic scripsit Satyrus, *ὅτε ἐν Ἰωνίᾳ μὲν ὢν Ἰώνων ἐφαίνετο τρυφερώτερος, ἐν Θηβαῖς δὲ σωμασκῶν καὶ γυμναζόμενος, τῶν Θηβαίων αὐτῶν μᾶλλον Βοιώτιος·* (postquam Thebas venerit, adeo studiis eorum inservisse, ut nemo eum labore corporisque viribus posset aequiparare); *ἐν Θετταλίᾳ δὲ ἱπποτροφῶν καὶ ἡνιοχῶν, τῶν Ἀλευαδῶν ἱππικώτερος· ἐν Σπάρτῃ δὲ καρτερίαν καὶ ἀφέλειαν ἐπιτηδεύων, ἐνίκα τοὺς Λακεδαιμονίους* (eundem apud Lacedaemonios, quorum moribus summa virtus in patientia ponebatur, sic duritiae se dedisse, ut parsimonia victus atque cultus *omnes Lacedaemonios vinceret*); *ὑπερῆρε δὲ καὶ τὴν Θρᾳκῶν ἀκρατοποσίαν* (fuisse apud Thracas, homines vinolentos rebusque venereis deditos; hos quoque in his rebus antecessisse). *Ἐμιμεῖτο δὲ Ἀλκιβιάδης τὸν Παυσανίου μηδισμὸν καὶ καθομιλῶν Φαρνάβαζον, τὴν Περσικὴν ἐνεδύσατο στολὴν* — (venisse ad Persas — horum

sic imitatum esse consuetudinem cett.). Quis est quin intelligat, quam incredibiliter omnia congruant? Nam si illud omittimus, quod de Ionia atque Thessalia Cornelius hic tacet, non solum eodem ordine narrandi, sed iisdem saepe verbis atque Satyrus usus est. Unde certo certius esse videtur, Satyri vestigia hic legisse Cornelium. At vero ipse alios duces atque auctores nominat, Theopompum et Timaeum, id quod intelligitur e verbis c. XI: „praedicarunt, atque hoc amplius" cett. Dubites igitur, quem secutus sit hoc in loco Nepos, Satyrum an Theopompum et Timaeum. Una via relinquitur, qua probabilem in modum demonstremus, quomodo et cum Satyri narratione tanta intercedat similitudo, et Theopompum Timaeumque auctores profiteatur. Satyrum enim, qui virorum illustrium vitas litteris mandaverat, suspicari licet haec, quae de Alcibiade protulit, Theopompo et Timaeo debere. Sic cum Satyro ab illis duumviris suspenso Cornelius consentit, neque tamen mentitur, si haec e Theopompo atque Timaeo se hausisse dicit.

Duridem autem Samium nihil est cur inter auctores Cornelii recenseamus. Quamquam enim contrarium nobis suaderi videtur eo, quod, quum de ducentis navibus ab Alcibiade captis c. V referatur, solus reperitur, qui de hac re cum Cornelio consentiat, Duris Samius apud Athen. XII. p. 535. C. [1]), tamen idem etiam Theopompum prodidisse ex loco Plutarch. Alc. c. XXXII effici videtur posse. Hic enim ita loquitur: *πολλὰς δ' ἐφελκόμενος αἰχμα-*

---

1) *ἀναψάμενος τὰς αἰχμαλώτους ναῦς, εἰς διακοσίας*, cett.

λώτους (int. *τριήρεις*), *ἔτι δὲ πλείω κομίζων ἀκροστόλια τῶν διεφθαρμένων ὑπ' αὐτοῦ καὶ κεκρατημένων. Ἦσαν γὰρ οὐκ ἐλάττους συναμφοτέραι διακοσίων. Ἃ δὲ Δοῦρις ὁ Σάμιος προςτίθησι τούτοις* cett., *οὔτε Θεόπομπος, οὔτ' Ἔφορος οὔτε Ξενοφῶν γέγραφεν.* Quid autem? Nonne ex his verbis sequitur, Duridem quidem illud de ducentis navibus memoriae mandasse, auctoritate tamen certe unius ex tribus aliis scriptoribus, quos commemoravit, esse confirmatum. Mireris autem Plutarchum, quum sequi voluerit Duridem, in navium numero definiendo tam male eius sententiam esse assecutum. Duris enim captas esse ducentas naves, Plutarchus partim captas partim depressas esse refert [1]). Qui quum in Duride tam negligenter egerit, idem eum in Theopompo fecisse putabimus, praesertim si illud assumimus, quod etiam Diod. Sic., qui Theopompum saepe secutus est, de numero captarum navium cum Cornelio concinat. Scribit enim XIII, 68: *ἦγον γὰρ τῶν ἡλωκυιῶν νεῶν οὐκ ἐλάττους διακοσίων.*

Legeritne etiam oratores Graecos, in incerto relinquendum est, quoniam huius rei indicium habemus nullum. Illud autem sine temeritatis suspicione affirmari potest, certe Antiphontis et Lysiae, obtrectatorum Alcibiadis, orationibus non usum esse, quum omnia, quae Alcibiadis gloriae officiant, stu-

---

1) Cave cum P. Wesselingio ad Diod. Sic. XIII, 68 Plutarchum sic referre opineris: ducentas naves qua hostibus ereptas, qua Atticas cum Alcibiade in Piraeeum fuisse invectas. V. *συναμφοτέραι* enim non indicat naves utriusque partis, Atheniensium et Peloponnesiorum, sed referendum est partim ad *ναῦς αἰχμαλώτους*, quas Alcibiadis naves remulco trahebant, partim ad *ἀκροστόλια* navium depressarum, quae secum portabant Athenienses.

diosissime omittat, atque adeo eius vitia narrando velit in virtutes convertere. Sed ne eos quidem oratores, qui, ut Isocrates, Alcibiadis rebus student, videtur consuluisse. Cornelius enim satis leviter opera sua defunctus, neque vero omnibus, qui ubique exstarent, auctoribus usus est. Unde nihil magis est cavendum, quam ne aut subtiliter fontes indagasse Cornelium, aut magnum scriptorum, e quibus hauriret, numerum perlegisse, id quod Daehnius in editione sua et Wichers in libro: disquisitio critica de fontibus et auctore Cornelii Nepotis. Groning. 1828. 8. commiserunt, arbitremur.

CAPUT III.

GENUS ALCIBIADIS.

Ad difficultates multas, quae in genere Alcibiadis enarrando se obtrudunt, si non omnino removendas, maximam tamen partem expediendas, egregie mihi illud facere videtur, si, quantum fieri poterit, ad ultima tempora descendentes, quae apud Herodotum, Thucydidem, Platonem, Isocratem aliosque de hac re memoriae prodita invenimus, diligenter collegerimus, deinde ubi vel inter se vel cum serioribus scriptoribus discrepent, quid verum sit, statuere et comprobare studuerimus. Omnes igitur in eo consentiunt, quod summo genere eum fuisse scribunt. Cf. quum alios tum Thuc. V, 43. Nep. Alc. init. Cic. Tuscul. III, 32. A matre enim Alcmaeonides [1]), a patre Eurysacides fuit, ita ut

1) Demosth. c. Mid. p. 561. 15 a patre Alcmaeonidem fuisse dicit. Quem dissensum noli ita expedire, ut cum Dacier. ad Plutarch.

(Plat. Alc. I. §. 35. p. 121) ab ipso Jove genus repeteret. Cf. praeter Platonis locum modo laudatum Plutarch. Alc. c. 1. Alcmaeonidarum gens Athenis erat illustrissima. Quorum stemma, ab Alcmaeone, Nestoris pronepote usque ad Alcibiadem deductum, et quasi imagine expressum, adiunctis simul iis Alcibiadis maioribus Eurysacidis, de quibus disceptatur inter viros doctos, si adumbravero, multo magis rem fieri perspicuam, quam solis verbis potest, persuasum ego habeo. Ne quis autem dubitet, an re vera ita fuerint cognati, ut cognatos fuisse significavimus, diligenter, quibus illud demonstraretur, ex scriptoribus Graecis locos adiecimus.

Alc. c. 1 librarii errorem statuas. Buttm. ad Demosth. l. l. Demostheni hunc, quem dicit, memoriae lapsum imputat; sed non esse eum mirandum, ut in oratione, quam adumbratam tantum ab auctore relictam esse et relatum sit ab antiquis, et negligentiae tot alia exempla satis superque testentur. Magis tamen placent, quae Boeckh. ad Pindar. Pyth. VII in hanc rem disputat: qui ita, quomodo effici possit, ut Demosth. a ceteris huius rei scriptoribus non dissentiat, demonstrat, ut re vera eum etiam a patre Alcmaeonidem fuisse ostendat.

Alcmaeon [1]).

Ab eo post quingentos circiter annos oriundus est:

Megacles [2]), victor Ol. XLVII. (Cf. interpr. ad Pind. Pyth. VII, 12.)

Clisthenes Sicyonius — Alcmaeon [3]), Croesi amicus, Ol. LV. (Cf. Schneid. ad Pindar. p. 272 seqq.)

Agariste [5]) — Megacles [4]), eiector Pisistrati.

Alcibiades [24]) Clisthenes [7]) legisl. Ol. LXVII, 3 — Hippocrates [8]) — Ariphron [12])

Megacles [9]) — Agariste [10]) Xanthippus [11])

Axiochus [25]) Clinias [16]) Dinomache [13]) — Hipponicus — Uxor |inc. nom.| — Pericles [14]) Ariphron [17])

Clinias [26]) Clinias [23]) *Alcibiades* [18]) Hipparete [19]), Callias [20]), Hermogenes [22]) Xanthippus [21]), Paralus [21])


Alcibiades [27])

1) Nestoris pronepos, 1100 a. C. migrat Athenas. Herod. V, 65. 2) Archon. Ol. XLV, 2. Herod. V, 70. 3) Herod. VI, 125. 4) Factiosus Atticorum dux eorum, qui oram maritimam incolebant. Herod. I, 59 seqq. VI, 127. Plutarch. Sol. XXIX. 5) Herod. VI, 126. 6) Herod. VI, 126. V. 67. Pausan. p. 72. 129. 133. 814. 894 ed. Kühn. 7) Herod. V, 65. 8) Herod. VI, 131. 9) Ibid. et Plutarch. Pericl. c. IV. 10) Herod. VI, 131. 11) Herod. VI, 131. 136. VIII, 131. IX, 114. 120. Plat. Alc. I. §. 2. Pausan. p. 59. 221. 705 ed. l. 12) Herod. VI, 131. 13) Plat. Alc. I. §. 5. p. 40 et al. Plutarch. Alc. c. I. Aelian. Var. Hist. II, 1. Liban. declam. IX et XXIX. 14) Herod. VI, 131. Plutarch. Pericl. c. III. 15) Andoc. de myster. p. 64. Isocr. de big. c. XIII. Plutarch. Alc. c. VIII. Xenoph. Memorabb. IV, 8, 4. Apol. Socr. c. II cett. 16) Plat. Alcib. I. §. 1 et 5. Thuc. V, 43. Plutarch. Alc. init. Herod. VIII, 17. 17) Plutarch. Alc. c. I. 18) Plat. Alc. I. §. 18. 19) Plutarch. Alc. c. VIII. Isocr. de big. c. XIII. p. 519. 20) Plat. Cratyl. c. XI. Plutarch. Alc. c. VIII. 21) Plat. Men. §. 33. B. Alc. I. §. 31. Protagor. p. 319 extr. Xenoph. Memorabb. III, 5. Plutarch. Pericl. c. XXXVI. 22) Xenoph. Memorabb. IV, 8, 4. Plat. Cratyl. c. I et XI. 23) Plat. Alc. I §. 31. Protag. p. 320. 24) Herod. VIII, 17. Plat. Euthyd. p. 275. A. Lys. XIII, 10. 25) et 26) Plat. Euthyd. p. 275. A. 27) Isocr. de big. multis locis. Lys. contra Alc. min.

Restat, ut singulis illustratis huic nostrae Alcibiadei generis descriptioni fidem adiiciamus omni luce clariorem.

1. De eo, quod Dem. in orat. c. Mid. l. l., quum Alcibiadem ex patre Alcmaeonidem fuisse dicat, a ceteris scriptoribus dissentire videtur, iam supra (p. 77 annot.) a nobis actum est.

2. Dacier. ad Plutarch. Alc. init. quum genus Alcibiadis, quatenus Alcmaeonides ille sit, hoc modo definiat:



auctoritatem qua nitatur et ignorans neque magni aestimans, in eo continere me possum, ut Herodoti testimoniis supra allatis eius opinionem satis refutari moneam. Omnia miscere videtur Dacier., quum Alcmaeon, quem hic Megaclis secundi patrem facit, non huius, sed prioris Megaclis pater fuerit, id quod copiose ab Herodoto, qui de hac omni re multus est, a capite inde libri VI centesimo vicesimo quinto usque ad finem eiusdem libri exponitur. Quamquam non omnes quidem cum Herodoto consentiunt veteres scriptores, apud neminem tamen Dinomaches avum Alcmaeonem, sed ubique vel Hippocratem vel Clisthenem dici repperi. At ne hi quidem, qui Clisthenem vocant, recte agunt. Enimvero in hac quoque re, quod proavus Alcibiadis a matre Hippocrates sit, non Clisthenes, historiae illi parenti et principi fidem habendam esse, mox demonstrabimus.

3. Ab Herodoto [1]) avus Dinomaches Hippocrates, ab Isocrate de big. c. X. p. 520 Clisthenes nuncupatur. Quae diversa testimonia quamquam facile ita aliquis potest conciliare, ut Megaclem, Hippocratis filium et Dinomaches patrem, Clisthenis filiam, sororem patruelem, in matrimonium

1) VI, 131. Non disertis quidem verbis Herodotus Dinomachen Megaclis, Hippocratis F., filiam nominat, quae demum Alcibiade nato famam quandam nacta est. Sed quum nunquam alium apud Herodotum Megaclem indicatum inveniamus huius temporis, pater autem Dinomaches Megacles ab omnibus nominetur; praeterea quum multis locis iubeamur putare, consanguinitatem, quae esset inter Periclem et Alcibiadem, arctiorem fuisse, quam fuisset, si Megacles, pater Dinomaches, filius fuisset Clisthenis, ut vult Boeckhius: non possumus quin Megaclem Herodoteum, filium Hippocratis, Clisthenis fratris, avunculum Periclis, pro patre Dinomaches accipiamus.

duxisse coniiciat: hanc tamen ingredi viam maximopere equidem dubito, quod omnibus destituta veterum scriptorum testimoniis, quamvis commoda, mera tamen coniectura est. Aliam nodi solvendi rationem Boeckhius ingressus est in annotationibus ad Pindar. Pyth. VII. p. 303, qui duplicem fuisse statuit Megaclem, alterum Clisthenis, alterum Hippocratis filium. Cui coniecturae quamquam multum inest, quo commendetur, nullo tamen scriptorum loco firmari eam dolendum est. Anquirendum igitur, priusquam aliquid coniectura assequi studemus, quomodo fieri potuerit, ut in hac re duo illi scriptores non consentiant. Proxime Herodotus a Clisthenis temporibus aberat, ut originem et propinquos accurate perscribere posset: Isocratis aetas centum fere annis post illum incidit, quo tempore subtilem illarum rerum memoriam maxima ex parte interiisse verisimile est. Quibus rebus consideratis non nimis Isocrati imputandum est, si Hippocratem, cuius fama obscurior erat, cum Clisthene fratre, notissimo illo instaurandae reipublicae auctore, hunc proavum Alcibiadis appellans confuderit. Neque illud omittendum, quod per duplicem illam Agaristam, quarum quidem altera Clisthenis maioris s. Sicyonii, altera fratris Clisthenis minoris filia fuit, et per ipsos hos duos Clisthenes facile fieri potuit, ut error menti obreperet. Isocrates praeterea est orator, qui, ut audientium animos, quantum fieri potest, commoveant, saepenumero non nimis religiose veritatis vestigia sequentes omnia in rem suam vertere sciunt. Unde factum esse potest, ut in oratione filii Alcibiadis, cuius auctor est Isocrates, ad augendam

Alcibiadei generis gloriam, Clisthenem proavum Alcibiadis, licet proavi proprie fratrem fuisse eum non ignoraret, appellare non dubitaverit. En Isocratis locum: Ἀλκιβιάδης καὶ Κλισθένης, ὁ μὲν πρὸς πατρὸς, ὁ δὲ πρὸς μητρὸς πρόπαππος ὢν τοῦ πατρὸς τοὐμοῦ. Verba sunt Alcibiadis minoris, filii Alcibiadis. Proprie dicere debebat: ὁ μὲν πρὸς πατρὸς πρόπαππος, ὁ δὲ πρὸς μητρὸς προπάππου ἀδελφὸς cett. Quid, si statuimus Isocratem, salva viri honestate, quum et rei clientis et, quod noli apud oratorem negligere, periodi concinnitati consuleret, de industria paullulum a vero discessisse, praesertim, quum vix criminis nomine appellandum esset, quod committeret? An malis errasse Isocratem? Non adversor. Nam etiam in eo errat, quod Alcibiadem proavum appellat, qui avus fuit Alcibiadis nostri. Cf. infra p. 101. Sic idem Boeckhius l. l. p. 302 Lysiae locum allegat, qui (contra Alc. min. p. 549) Megaclem nominat Alcibiadis minoris πρόπαππον ἐκ μητρὸς i. e. avum Hipparetes, quum dicendum esset ἐκ πατρὸς. Quo loco miror, quidni tertium quendam Megaclem Boeckhius fabricatus sit. Nihilo magis errasse Lysiam dicit [1]). Sed quidquid illud est, sive erravit Isocrates, sive de industria, quum meliora videret, ita scripsit, non valet tantum apud me eius auctoritas, ut, quod ne necesse quidem est ex eius verbis eruatur, novum illum a Boeckhio primo inventum et quasi procreatum Megaclem agnoscam. Quo quum minime egeamus, plane in uno

1) Lysias tamen fortasse hoc modo excusari potest, ut ἐκ μητρὸς intelligendum sit ἐκ μητρὸς Ἀλκιβιάδου τοῦ Κλεινίου i. e. e Dinomache.

illo, Hippocratis filio, acquiescendum est. Ceteroquin tantum abest, ut solum commodum a Boeckhii inventione in nos redundet, ut incommodum, quod exsistit, non minus sit commodo. Nam quod multis scriptoribus Alcibiades Periclis ἀδελφιδοῦς, et Pericles Alcibiadis avunculus appellatur, hac coniectura probata, omnino nescimus quomodo fieri posse demonstremus. Quod autem Plutarch. Pericl. c. IV item Alcibiadis avum Clisthenem vocat, de sententia nos non depellet. Contra Pausan. l. l.

4. Vix dignus est, qui commemoretur, dissensus inter reliquos scriptores et inter Plinium, qui (Hist. Nat. XXXIV, 19. §. 31) matrem Alcibiadis non Dinomachen, sed Demaraten vocat. Ut enim idem sit hic a Plinio dictus atque is, de quo nos agimus, Alcibiades, id quod non potest a nobis negari, quoniam ex omnibus eiusdem nominis solus noster tantam gloriam adeptus erat, ut posterioris aetatis artifices, statuas eius fingentes, haud indignum arte atque labore opus susciperent: attamen non tantum Plinio dandum est, ut eius auctoritate antiquissimorum scriptorum gravissima testimonia labefactari atque infringi patiamur, praesertim quum id potissimum agat Plinius hoc loco, non ut narrationem fide dignam de Alcibiadis genere in lucem edat, sed ut artificis eiusque operum memoriam posteritati prodat. Fieri etiam potest, ut a Plinio duo Alcibiades commutati sint, fortasse magnus noster Alcibiades et Alcibiades, eius avus. Cuius matrem si Demaraten appellatam fuisse coniecerimus, non ita absurdum aliquid statuisse nobis videbimur. Primum enim scimus Alcibiadis avi patri hospitium

intercessisse cum Alcibiade quodam Lacedaemonio, arctissimisque cum hoc amicitiae vinculis illum coniunctum fuisse: qua re factum est, ut hospitis nomen filio suo, ipsi illi Alcibiadi, Alcibiadis avo inderet. Cf. Duker. ad Thuc. VIII, 6. Cuius Alcibiadis, Alcibiadis avi mater Lacaena quaedam Demarate fuisse potest, quippe quod nomen inter Lacones non inusitatum videtur fuisse. Certe Demaratos plures inter Lacedaemonios fuisse constat, cuius quum nominis viros tum apud Herodotum, tum apud alios deprehendamus. Ceterum non multum tribuerim huic coniecturae sane quam audaci, sed quomodo aliter dissensum Plinii explicare possimus plane nescio.

5. Quibus omnibus praemissis, iam illud restat, ut, quaenam sanguinis coniunctio inter Alcibiadem et Periclem intercesserit, subtiliter enucleetur. Confundimur varia et parum, primo obtutu, inter se convenientia legentes veterum testimonia. Cornelius enim c. II privignum Periclis Alcibiadem appellat: Suidas autem cum Diod. Sic. XII, 38. p. 96 ἀδελφιδοῦν Periclis eum perhibet, cum quibus consentiunt Valer. Max. III, 1, 1 et Gell. Noctt. Attico. XV, 17 avunculum Alcibiadis Periclem appellantes. Quid, si vetustiorum scriptorum et aetate ab Alcibiade propiorum libros evolvimus? Plat. in Alc. I nullo nisi tutoris Alcibiadis nomine Periclem et ab ipso Alcibiade et a Socrate facit indicatum. Cf. c. II. XXX cett. Eodem Xenophon modo agit in Memorabill. I, 2, 4: Ἀλκιβιάδης, πρὶν εἴκοσιν ἐτῶν εἶναι, Περικλεῖ ἐπιτρόπῳ μὲν ὄντι ἑαυτοῦ cett. Neque aliter Isocrates ἐπιτροπευθῆναι Alcibiadem

ὑπὸ τοῦ Περικλέους dicit, nullo cognationis indicio adiecto. Unde colligitur, non tam arcte cognatos fuisse Periclem et Alcibiadem, quam velle ii videntur, qui vocibus *avunculus* et ἀδελφιδοῦς in significanda consanguinitate utuntur. Vix enim speciem habet veri, si fuisset Pericles avunculus, non ita esse in his locis, quos significavimus, aliisque eorundem scriptorum, eum appellatum. Tamen non nimis laxum hunc fuisse inter utrumque sanguinis nexum ipsis illis vv. *avunculus* et ἀδελφιδοῦς suspicari iubemur, quibus nisi aliquid subesset, profecto non essent usi qui iis utuntur scriptores. Cautius Plutarch. Alc. c. 1 Periclem Ariphronemque fratrem Alcibiadi προςήκοντας κατὰ γένος dicit. Non enim sine audacia egerunt, qui avunculi nomen indidere. Namque Dinomache non soror germana, sed, ut liquet ex stemmate supra prolato, soror patruelis Pericli fuit. Maluerunt igitur modum consanguinitatis per unum vocabulum, sed quod a vero aliquantulum recedit, diserte significare, quam, quum uno nomine, quod apte poneretur, utraque non uteretur lingua, aut in universum consanguineum appellare aut, quatenus sanguine cum eo coniunctus fuisset, per vocabulorum ambages accurate definire. Non igitur ad coniecturas recurrendum esse existimo, propterea quod, quum a prioris aetatis scriptoribus de hac re omnino taceatur, posteriores videntur brevitatis tantum studio ducti et secuti alter alterius vestigia hac voce avunculi vel ἀδελφιδοῦ usi esse. Quamquam fieri potest, ut aliquis coniecturarum prodigus statuat, quae Dinomachen mater ex Megacle pepererit, eam mortuo marito a Xanthippo post mortem uxoris


in matrimonium esse ductam: unde efficeretur, ut Dinomache, etiamsi non germana, soror tamen Pericli iure posset appellari. Verum nihil potest hac coniectura magis ex vano esse haustum.

Quod autem privignus Alcibiades Pericli dicitur, omnes, Magio praeeunte, ita video explicare, ut Pericles, si non Alcibiadis, eius tamen uxoris vitricus recte possit appellari, quum teste Plutarcho Pericl. c. XXIV Hipponici uxor, mater Calliae, postea sit Pericli nupta. Mirus quantus errantium consensus! Illud enim viri docti neglexisse videntur, non posse hac in re in verba Plutarchi iurari, praesertim quum praeter eum nemini in mentem venerit tale matrimonium memorare. Enimvero ex Thucydide (III, 91) cognoscimus Hipponicum eundem, de quo Plutarchus memoriae prodidit, Ol. LXXXVIII, 3 fuisse unum ex ducibus Atheniensibus; Periclem autem iam Ol. LXXXVII, 4 peste correptum e vita decessisse ex eodem Thucydide scimus. Unde nisi forte Thucydidi diffidere quam Plutarcho malumus, non posse Periclem duxisse Hipponici uxorem sequitur. At finxerit quispiam Hipponici uxorem, divortio facto, vivo priore marito Pericli nupsisse. Ut vero ita factum esse concedamus, nihil hac efficietur coniectura. Cornelius enim verbis: *privignus enim suus fuisse dicitur*, indicare vult, quomodo factum sit, ut in domo Periclis Alcibiades educaretur. Duxit autem, si Dodwelli sequimur doctam disputationem in Annall. Thucc. Tom. II. p. 691 Becker., Hippareten anno aetatis tricesimo quarto, duobus igitur vel tribus lustris post Periclem mortuum. Quae quum ita sint, posito illo, de quo

diximus, divortio, negari quidem nequit, quodammodo Alcibiadem, ut privignae maritum, ipsum privignum Periclis dici potuisse, quamquam eam ob causam factum esse multis difficile probabitur: non video tamen, quomodo illo loco apud Cornelium haec verba ferri possint, quum eo tempore, quo educaretur, nondum esset privignus, sed multis demum post annis, si privignae maritum ita dici posse concedimus, factus sit. Jam vero, siquidem certum est, verba illa neque a seriori manu profecta, neque omnino depravata esse, nihil aliud relinquitur, quod de hac re iudicemus, quam relata quidem, sed non satis certa et firmata retulisse Cornelium, quae sibi ipsi non satis probari adiecta voce *dicitur* leviter significavit. Potuit autem ille rumor, privignum Periclis fuisse Alcibiadem, quem Cornelius vel a Theopompo vel a Timaeo videtur accepisse, facillime inde oriri, quod et tutorem Periclem haberet et in eius domo educaretur. Sed accessisse potest etiam aliud, quo primus huius famae auctor eo adductus sit, ut Alcibiadem pro privigno Pericli haberet, quia enim putaret, Dinomachen Clinia mortuo nupsisse Pericli. Ac de legitimo quidem connubio minime potest cogitari vel propter perpetuam gravissimorum scriptorum appellationem ἐπίτροπος. Obstat vero etiam Aspasia, quam Pericles, ut videtur iam ante Ol. LXXXIII, 2, pro uxore amare coeperat, e qua quem susceperat spurium filium, eum iam satis grandem natu, certe adolescentulum moriens reliquit. Illud vero plane crediderim, Periclem amasse Dinomachen cum eaque rem habuisse. Fuit enim et ipsa matrona satis pulchra et Pericles

non osor mulierum sed mirificus quidam amator. Ita vero Pericles non ille quidem publice, verumtamen privatim, omnino Alcibiadi fuit vitricus. Ex hoc igitur mutuo Pericli Dinomachesque amore fama illa de Alcibiade Pericli privigno tota videtur, tanquam ex fonte, fluxisse.

6. Hac de materia non possum a me impetrare ut antea discedam, quam coniecturam a novissimo Alcibiadis Plutarchei editore, Joanne Christ. Baehrio, non sine temeritate, ut videtur, prolatam paucis attigerim. Vult enim vir doctissimus (p. 56 seqq.) tali Alcibiadem modo cum Pericle coniunctum fuisse:



his verbis in explicationem adiectis: „Qui avus Alcibiadi fuit Megacles, idem, credo, consobrinum (i. e. pro sororis filio) habuit Periclem, qui ipse Pericles Dinomachen, Megaclis filiam, Cliniae, unde Alcibiadem pepererat, ac deinde Hipponico nuptam, in matrimonium duxit, ut summo iure Pericles Alcibiadis vitricus appellari posset.“ Non satis diligenter videtur Baehrius de hac re cogitasse. Ut enim et illud omittam, quod et consobrinum Megaclis fuisse Periclem inserto v. *credo* pro re non satis certa habere videtur, quum ab Herodoto loco supra laudato (cf. etiam Thuc. I, 127) luculenter et disertis verbis doceatur, et avunculus cur dicatur Pericles Alcibiadis, in medio relinquat; ne-

que illud commemorem, quod, quum Pericles, id quod ipsum Baehrium non fugit (cf. l. l. p. 100) et iam supra a nobis indicatum est, ante Hipponicum mortuus sit, ne verbo quidem significavit, quomodo tandem factum sit, ut Hipponici uxor postea Pericli nupserit, qua re compellimur, ut plane oblitum esse huius difficultatis, quae in tempore inest, virum doctissimum suspicemur: non potest, quibus opinionem confirmet, ne levissima quidem afferre argumenta, quamquam multis locis quum alios tum Platonem, praesertim in eo dialogo, qui inscribitur Alcibiades I [1]), non dico occasio oblata, sed vix evitabilis, opinor, necessitas cogere debebat, ut Alcibiadem Pericli, ut fuisset, ita etiam nominassent privignum. Cf. Alc. I. c. II *Περικλέα τὸν Ξανθίππου, ὃν ὁ πατὴρ ἐπίτροπόν σοί κατέλιπέ τε καὶ τῷ ἀδελφῷ.* c. XXX. *τοῦ σοῦ ἐπιτρόπου Περικλέους* cett. c. XL. *ὁ Δεινομάχης υἱὸς, ᾗ ἐστι κόσμος* cett., quo postremo ex loco colligendum esse videtur, fuisse Dinomachen etiam tunc viduam. Tempore autem, quo hic dialogus habitus fingitur, iam uxor fuerit Pericli Dinomache necesse est ex Baehrii coniectura, quum in eo Xanthippus et Paralus, quorum Dinomachen matrem esse vult, iam commemorentur a scriptore. Sed his tanquam levioris

1) Pulchre quidem scio, non esse extra omnem dubitationem positum, an re vera Plato, ut fertur, eius libri auctor perhibendus sit. Ex quo enim tempore Schleiermacherus multa congessit argumenta, quibus Platonem auctorem esse valde suspectum fieret, maxima virorum doctorum pars neque immerito, ut videtur, eius sententiam amplexi sunt. Nemo tamen adhuc negavit, illum librum aut Platonis aetate aut certe non multo post confectum esse, cuius pro auctore plerique discipulum Platonis habent.

momenti missis quaeritur, num per tempus omnino liceat, triplices has Dinomaches nuptias statuere. Confitendum profecto, temporis rationem omnium minime constare. Ut enim ab ipsa Baehrii sententia proficiscamur[1]), Alcibiades natus est Ol. LXXXII, 2. Tempore autem habiti illius cum Socrate colloquii, quod Alc. I inscribitur, ut c. XLI indicatur, paene viginti annos erat natus. Quo non multo minores aetate fuisse Paralum atque Xanthippum, ex eodem Platonis libro colligitur, ubi haec Socratis, negantis quemquam Pericli consuetudine vel institutione virum sapientem esse factum, quibus Alcibiadem appellat, verba legimus: *Περικλῆς τίνα ἐποίησε σοφὸν ἀπὸ τῶν υἱέων ἀρξάμενος.* Quod si nolumus, ineptam esse Socratis quaestiunculam, certo concedendum est, Pericli filios eandem fere cum Alcibiade aut non multo minorem aetatem habuisse et adolescentes iam factos esse. Quos si multo minores natu quam illum fuisse fingeremus, magnopere vereor, ut de eorum sapientia quaeri licuisset. Non possunt igitur ad summum ultra annum quartum vel quintum post natum Alcibiadem (i. e. Ol. LXXXIII, 2 vel 3) in lucem editi esse. Quid autem? Illo ipso anno (Ol. LXXXIII, 2) proelium Coronense est commissum, in quo pater Alcibiadis cecidit. (Cf. Plat. Alc. I. c. XVIII.) Quae quum ita sint, etiamsi statim post Cliniam mortuum novas nuptias iniit, unde Dinomache tempus sumpsit, non modo

---

1) Baehrium tamen quaestionem de anno natali non accurate solvisse, infra a nobis demonstrabitur, ubi Ol. LXXXII anno demum quarto natum esse eum, id quod magis etiam Baehrii coniecturae de Dinomaches triplici coniugio refragatur, docebimus.

Pericli filios gignendi, sed antea, Hipponico nupta, Calliae pariendi? Qui ipse Callias, Hipponici F., iam Ol. LXXXII, 4 ad regem Persarum ab Atheniensibus missus est. Cf. Diod. Sic. XII, 4. Suid. Plutarch. Cim. p. 487. Ne multa: vir ceteroquin haud contemnendae doctrinae egregie hic temporis oblivione deceptus est, propterea quod Pericles neque ex Dinomache potuit Xanthippum atque Paralum filios suscipere, neque omnino, id quod supra demonstratum est, Hipponici uxorem duxisse, quaequae erat, putandus est, nisi quis forte, divortio ficto, violenter agere vult ad probabilitatem illius rei evincendam. Quo accedit, quod, ut supra docuimus, de legitimo inter Periclem Dinomachenque connubio propter perpetuam appellationem *ἐπίτροπος τοῦ Ἀλκιβιάδου* nullo modo cogitari potest. In hac re praeterea Baehrius peccasse videtur, quod illud non respexit, sequi ex sua coniectura, ut uterinae Alcibiades sororis coniugium iniisset, quod quidem, quamquam sororem germanam eodem patre natam duci licuit, vetitum erat apud Athenienses. Cf. interprr. ad Corn. Nep. Cim. I, 2. Schol. Aristoph. Nubb. v. 1375. Certe illud ei non erat silentio praetermittendum, si suam opinionem salvam cuperet, ex alia matre fieri non potuisse, quin Hipparete nata sit quam ex Dinomache, quippe quam Hipponici uxorem Calliaeque matrem perhibeat.

7. Postremo quae de iis Alcibiadis maioribus, quos a patre habebat, memoriae produntur, pauca sunt admodum neque semper inter se congruentia. De patre Clinia non est inter scriptores dissensus.

Sed avum alii Axiochum [1]), alii Alcibiadem, alii iterum Cliniam vocant. Quem Cliniam avum viri docti, Isocrati gratificandi causa, mera coniectura invenerunt, neque ille apud ullum scriptorem commemoratur. Etenim Isocrates loco supra (p. 48) laudato non magis vere, quam Clisthenem a matre, Alcibiadem antiquiorem a patre proavum Alcibiadis nominat, utpote qui avus erat: quem temere Harpocratio et post eum Meurs. Att. Lectt. VI, 12 secuti sunt. Ne vero omnino avo careret Alcibiades, fuerunt qui Cliniae patri Cliniam avum, qui filius esset Alcibiadis antiquioris, de suo adderent. Meursium autem recte Henr. Valesius Emendd. IV, 1 idemque in Nott. Maussaci ad Harpocrat. p. 213—215 ed. Gronov. refutat [2]). Avum autem Alcibiadis fuisse Alcibiadem antiquiorem quum ex aliis locis, tum ex Plat. Euthyd. p. 275. A perspicue intelligitur, ubi haec de adulescentulo quodam, Clinia, dicuntur: *ἔστι δὲ οὗτος Ἀξιόχου μὲν υἱός, τοῦ Ἀλκιβιάδου τοῦ παλαιοῦ, αὐτανεψιὸς δὲ τοῦ νῦν ὄντος Ἀλκιβιάδου.* Axiochus igitur frater erat Cliniae, patris Alcibia-

---

1) Ita fecit Meurs. Att. Lectt. VI, 12, perverse ille usus loco Platonis Euthyd. p. 275 A, ubi qui Clinias commemoratur, filius quidem Axiochi est, non tamen pater sed patruelis nostri Alcibiadis.

2) In eo tamen errare videtur H. Valesius, quod ab Harpocratione sub v. *Ἀλκιβιάδης* scriptum esse *πάππος* suspicatur, quamquam in vv.: *ἦν δὲ καὶ ἕτερος* (int. *Ἀλκιβιάδης*), *πρόπαππος τοῦ προειρημένου* facillimam esse coniecturam: *πάππος τοῦ προειρημένου* concedendum est. Lysiae enim, quem se sequi profitetur, non satis assecutus est sententiam. Qui quum Orat. I in Alc. min. §. 39 Alcibiadem antiquiorem proavum Alcibiadis, nobilis Alcibiadis filii appellasset, vereor, ne nobilem Alcibiadem cum eius filio confuderit Harpocratio, et, quum Alcibiadis minoris *πρόπαππος* Alcibiades antiquior appellaretur, Alcibiadis nobilis appellatum esse putaverit.

dis, et uterque proles Ἀλκιβιάδου τοῦ παλαιοῦ, ut audit apud Platonem. Hic igitur avus fuit, non proavus nostri Alcibiadis. Cf. praeterea Duker. ad Thucyd. VIII, 6. Wesseling. ad Herod. VIII, 17. Neque temporis ratio non constat. Idem Clinias, qui secundum Plutarch. Alc. c. I ἰδιοστόλῳ τριήρει περὶ Ἀρτεμίσιον ἐναυμάχησεν, bene fieri potest, ut, id quod Plutarchi etiam auctoritate nititur, in proelio Coronensi pugnaverit, quod triginta circiter annorum spatio ab altero distabat. Neque illud offendere potest, quod iam sexagenarius aut certe non multo minor natu Clinias Alcibiadem procreaverit, quum alterum praeter Alcibiadem filium habuisse eum sciamus et plures fortasse habuisse coniicere liceat.

Alii alibi Alcibiadis commemorantur consanguinei, ut Xenoph. Hist. Gr. I, 4, 7: Εὐρυπτόλεμος ὁ Πεισιάνακτος, Ἀλκιβιάδου ἀνεψιός. Cf. Schneid. ad l. l. Plutarch. Alc. c. XXXIV. — Xenoph. ibid. I, 2, 8 alius Alcibiades est nostri consobrinus, de quo haec referuntur: Ἀλκιβιάδην δὲ Ἀθηναῖον, Ἀλκιβιάδου ὄντα ἀνεψιὸν καὶ ξυμφυγάδα, κατέλυσεν int. ὁ Θρασύλος. Cf. Palmer. Exercitt. ad auct. Gr. p. 60. Qui quomodo in classe Syracusana esse potuerit, facile ita potest explicari, ut, quum una cum Alcibiade nobili exsularet, quo se verteret nescius, apud Syracusanos militiam capesseret. Sed quum horum aliorumque vix quidquam praeter nomina noverimus, neque ad res Alcibiadis enarrandas ullius fere momenti sint, in iis diutius commorari non erit operae pretium.

CAPUT IV.

ANNUS ALCIBIADIS NATALIS ATQUE AETAS.

Quamquam eum, qui Alcibiadis aetatem arctius paullo definire voluerit, scriptores rerum Graecarum non omnino deficiunt, tamen ita tantum adiuvant, ut non liceat, nisi per longum argumentationum et coniecturarum iter, omnibus quae ad aetatem definiendam facere possunt rebus bene perpensis varioque modo inter se comparatis, quod cupiat assequi. Duo inprimis sunt loci apud veteres scriptores, quibus freti difficillimam illam quaestionem aggredi posse nobis videamur. Quorum alter exstat apud Diod. Sic. XIV, 11, ubi, quum urbis Athenarum expugnationem et res primum a triginta tyrannis gestas exposuerit, his verbis pergens: „*πραττομένων δὲ τούτων*" mortem Alcibiadis narrat: unde colligitur, si illud addideris, in pugna ad Aegos Flumen commissa adhuc vixisse Alcibiadem [1]), non multo post Athenas expugnatas (Ol. circiter XCIV, $\frac{1}{2}$) diem eum supremum obiisse. Neque dissentiunt Plutarchus et Nepos, ex quibus intelligimus statim post illam victoriam ad Aegos Flumen a Lacedaemoniis reportatam iter ad regem Persarum Alcibiadem suscepisse, quo nondum confecto occisus est. Jam vero altero loco collato, qui est apud ipsum nostrum Cornelium (Alc. c. X), ubi quadraginta circiter annos natus mortuus esse dicitur, quum inde colligendum sit, natum esse Alcibiadem Ol. circiter LXXXIV, $\frac{1}{2}$: tamen, si hunc pro anno eius natali

1) Cf. Cornel. Plutarch. Diodor. Xenoph. aliosque.

haberemus, tam multae inde orirentur difficultates, ut Cornelii testimonio ad verum investigandum omnino uti non possimus.

Sed anteaquam ipsi nostram de hac re sententiam proferamus, quae a viris doctis varium in modum adhuc de ea disputata sunt, breviter perlustrabimus. Dukerus vereor ne nimia religione Cornelium secutus sit, quum ad Thuc. V, 43 hac argumentatione utatur: Propterea quod Nepos Alcibiadem annos circiter quadraginta natum, Diod. Sic. Ol. XCIV, 2 [1]) obiisse tradat; deinde quod ea, quae a Thucydide l. l. narrentur Ol. LXXXIX, 4 facta sint, quod inter tempus et inter mortem Alcibiadis XIV annorum [2]) spatium intercedat: consequens esse, Alcibiadem Ol. LXXXIX, 4 nondum XXX annorum aetatem complevisse. Quum igitur nullo modo dubitet, quin vere sit et accurate a Nepote relatum, non potest non ponere annum Alcibiadis natalem Ol. circiter LXXXIV, 2. Qui annus iam quartus erat post mortuum Cliniam patrem.

Propius ad verum accessisse, certe non omnem temporis rationem neglexisse videtur Baehrius ad Plutarch. Alc. p. 269. Ille quum Ahlwardtii libellum, quem indici lectionum per semestre aestivum in acad. Gryphisw. MDCCCXXI habitarum praemisit, laudaverit, ubi fieri non posse, quin Alcibia-

1) Rectius scripsisset Ol. XCIV, 1.

2) Hanc rationem reputanti in oculos incurret IV annorum errorem in computando commissum esse. Nam inde ab Ol. LXXXIX, 4 usque ad Ol. XCIV, 2 non est XIV sed XVIII annorum spatium. Dukerus igitur, probata Cornelii narratione, statuere debebat, Alcibiadem Ol. LXXXIX, 4 non plus XXII habuisse annos.

des intra spatium temporis, quod erat ab Ol. inde LXXXII, $\frac{2}{3}$ usque ad Ol. LXXXIIII, 3, natus sit, disertis argumentis demonstretur: inde sequi putat, Alcibiadem, ut iam Dodwellus viderit, natum esse videri Ol. LXXXII, 2. Utinam argumenta, quibus hanc sententiam firmaret, attulisset. Quibus non satis firmis eum usum esse, eam ob causam suspicandum est, quod, quamquam rem tantum non acu tetigit, inconsiderate et praeter necessitatem Cornelium una cum Dukero secutus est. Haec enim de illo loco Thucydidis (V, 43) Baehrii sunt verba: „Quum ea, quae ibi narrentur, observante Dukero, in Ol. LXXXIX annum quartum extremum incidant, Alcibiadisque mors in quadragesimum vitae annum Ol. XC$\frac{III}{IV}$, $\frac{4}{1}$, sequitur inde, Alcibiadem, qui natus fuerit Ol. LXXXII, 2, tunc, quum ista agere incoeptaret, vix tricesimum vitae annum implevisse.“ Multo melius fecisset, si Cornelii illud testimonium omnino omisisset, quum tantum absit, ut eius argumentationi faveat, ut contrarium paene continere videatur. Aliud enim omnino est vivere ab Ol. LXXXII, 2 usque ad Ol. XCIV, 1, aliud quadragesimo vitae anno mortem oppetere. Sed in annotatione Baehrius haec adiicit: Quod narret, eum caesum fuisse annos circiter quadraginta natum, in his Cornelium numero rotundo se accommodare maluisse, id quod ex adiecto v. *circiter* satis appareat. Verum enim vero quaeritur, num ullo modo fieri possit, ut, si quis duodequinquaginta vel quadraginta et septem annorum aetatem, quum moreretur, impleverit, is circiter quadraginta annos natus dicatur obiisse. Eodem iure, si quis annos triginta et

duos natus decessit, quadraginta circiter annorum aetatem implevisse dici potest. Certe locorum tam vagorum nullus usus est in quaestionibus, quibus aetatem viri accurate definire proposuimus.

Equidem, quum ex Cornelio nihil certi redundare ad nostram disputationem intellexissem, aliquamdiu eum relinquendum censui et propria via pergendum, adhibitis iis veterum locis, unde colligi aliquid posse videretur; postea quae inveneriinus, cum Cornelio conferentur, et quomodo ille defendi possit, demonstrabitur. Quum igitur Ol. XCIV, ½ occisum esse Alcibiadem ex Diod. Sic. aliisque non minus certo quam vixisse constet, id agendum videtur, ut eorum potissimum Graecorum scriptorum ope adiuti, qui aut aequales fuerunt Alcibiadis aut non multo post eum vixerunt, quae huc faciant, colligamus. Primum igitur illud non negligendum est, quod ex multis locis cognoscimus cecidisse Cliniam patrem in pugna ad Coroneam commissa [1]). Quae quum esset Ol. LXXXIII, 2, etiamsi post mortem patris natum esse Alcibiadem concedamus, non possumus ultra Ol. LXXXIII, 3 annum eius natalem producere. Quod tempus quamquam cum Cornelii narratione paene congruit, cum aliis tamen, quae de Alcibiade referuntur, non convenit. Apud Platonem enim in Alcib. I. c. XLI, A haec verba sunt: *ὁ Ἀλκιβιάδης οὗτος ἔτη οὐδέπω γεγονὼς σφόδρα εἴκοσι*: commemoratur tamen in eodem dialogo Pericles tanquam etiam tum vivus. Consentit cum

1) Cf. Plat. Alc. I, c. 18. Isocr. de big. p. 518. Adde Plutarch. Alc. c. I. Diod. Sic. XII, 7.

Platone Xenoph. Memorabb. I, 2, 40: *Λέγεται γὰρ, Ἀλκιβιάδην, πρὶν εἴκοσιν ἐτῶν εἶναι, Περικλεῖ — τοιάδε διαλεχθῆναι περὶ νόμων.* Quae quum ita sint, Pericles autem perierit Ol. LXXXVII, 4 [1]), non potest Alcibiades post Ol. LXXXII, 4 a matre editus esse, quamvis proxime a Pericli morte habitum esse illud colloquium statuamus. Primus iam Acacius hoc vidit ad Thuc. V, 43, cui quamquam propter ea, quae inde collegit, recte refragatur Dukerus, hoc tamen recte observasse fatendum est. Accedit, id quod summi momenti est, quod apud eundem Platonem legimus (Sympos. p. 220) pugnasse Alcibiadem in pugna Potidaeatica, quae fuit secundum Diod. Sic. XII, 37 Ol. LXXXVII, 1. Cf. Thuc. I, 64. Idem testantur Isocr. de big. p. 518. Plutarch. Alc. c. VII. Qua re maiorem fidem illud nanciscitur, eum, quum Pericles moreretur, ad minimum viginti annos natum esse. Non enim credibile est minus XVII annos natum eum fuisse, quum Phormionem ducem in Thraciam sequeretur. Non vero in hac re audiendus est maledicentissimus iste Athenaeus, qui quum alias res apud Platonem reprehendit, tum mera mendacia ea esse iudicavit, quae Plato in Symposio p. 220 Alcibiadem faceret dicentem, quoniam nunquam Socrates stipendia meruisset. Unde facile tibi suspicio inciderit, omnia ea quoque, quae de Alcibiade cum Phormione Potidaeam proficiscente prodantur, non esse nisi ficta at commentitia. Recte vero Buttm. ad Plat. Crit. c. XIV. p. 52, quem locum potis-

---

1) Cf. Pausan. p. 59. 71 ed. Kühn aliosque.

simum ad Platonis fraudem manifestandam elegerat Athenaeus, patroni partibus susceptis scriptorem nobilissimum a malignis calumniatoris opprobriis secundo Marte defendit. Constat igitur, Alcibiadem non esse natum post Ol. LXXXII, 4.

Quid autem, si in eo acquiescimus, ut illo ipso anno (Ol. LXXXII, 4) natum eum esse statuamus, quod ut faciamus multa nos hortari videntur, nihil autem ne faciamus obstare? Post illum annum quum natum eum non esse iam viderimus, illud modo restat, ut antea natum non esse ostendamus. Ne igitur nimis removeamus argumentando illud tempus, quo in lucem editus sit, omni studio et animadversione providendum est, non solum propter Cornelii locum saepius laudatum, sed propter luculentos aliorum scriptorum locos. Apud Diodorum enim XII, 38 audit *παῖς ὢν τὴν ἡλικίαν* Alcibiades, quum, quae ibi de eo narrentur, post expeditionem in Thraciam susceptam facta sint. Unde tempore illius expeditionis admodum tenerae aetatis fuisse eum putabimus. Non igitur veremur, ne temere nugati esse videamur, si, ut supra fecimus, decem et septem annos natum Phormionem ducem secutum esse censuerimus: ipsis enim verbis Diodori iubemur putare, admodum adolescentem illo tempore Alcibiadem fuisse. Confirmari quodammodo videtur haec sententia Isocratis verbis [1]), qui ita rem commemorat, ut Alcibiades non proprie his mille militibus, qui duce Phormione contra Thraces proficiscerentur, annumeratus esse videatur, sed tanquam accensus sive

1) Cf. Isocr. de big. p. 518: *σὺν τοῖςδε πορευθεὶς* cett.

adscriptivus sponte cum illis profectus primum illud meruisse stipendium. Cf. etiam Plutarch. Alc. c. VII: *ἔτι δὲ μειράκιον ὢν ἐστρατεύσατο τὴν εἰς Ποτιδαίαν στρατείαν.* Sed videamus reliquos locos: Plutarch. Alc. c. XIIII dicit: *ἀφῆκεν ἑαυτὸν εἰς τὴν πολιτείαν μειράκιον ἔτι ὤν.* Atqui quamquam negari quidem nequit, *μειράκιον* dici etiam, qui annum vicesimum iam egressus sit, plerumque tamen usurpari solet de adolescentibus, qui viginti annorum aetatem minorem agunt. Illis enim verbis non putaverim cum Baehrio idem a Plutarcho tempus significari, quod a Thuc. V, 43, dico Ol. LXXXIX, 4, sed longe prius. Atque ante vicesimum annum Alcibiadem, si non re vera ad res publicas tractandas accessisse, voluisse tamen id facere ex Plat. Alc. I. c. VII init. docemur, ubi a Socrate commonetur, ne velit coram populo verba facere. Ex quo loco illud certe intelligitur, per aetatem illud facere licuisse apud Athenienses. Bene cum his coibunt, quae sunt apud Thuc. V, 43, ubi Alcibiades, bellum contra Lacedaemonios iterum suscipiendum suadens, id quod fiebat Ol. LXXXIX, 4, dicitur *ἀνὴρ ἡλικίᾳ μὲν ὢν ἔτι τότε νέος ὡς ἐν ἄλλῃ πόλει.* Ex nostra enim ratione Alcibiades eo tempore viginti et octo annorum aetatem egit. Etenim quae Valcken. ad Herod. VIII, 17 affirmat, non licuisse apud Athenienses ante tricesimum aetatis annum in comitiis dicere: quam inconsiderate dicta sint et quam omni fundamento careant, consulta docta Schoemanni disputatione [1]), nemo erit quin miretur. Qui nullam

1) In libro de comitiis p. 105 seqq.

fuisse legem, quae id vetaret, Glauconis, filii Aristonis exemplo, e Xenophonte petito, quem nondum viginti annos natum saepius in comitiis ad dicendum surrexisse constat, satis superque comprobavit. Nemo igitur propter aetatem, dum inter viros receptus esset, verba facere vetabatur. Cf. etiam Baehr. l. l. p. 124. Unde bene etiam se habet interpretatio Aristoph. Acharn. v. 716, ex quo loco Alcibiadem iam ad rempublicam accessisse intelligitur. Nam illa fabula quum acta sit Ol. LXXXVIII, 3 Lenaeis, qui annus erat Alcibiadi vicesimus tertius aetatis: fieri id illo tempore potuisse e superioribus apparet. Quid quod iam aliquot ante illum annis in comitiis dixerat. Namque in prima Aristophanis fabula, Daetalensibus, quae Ol. LXXXVIII, 1 Lenaeis data est, etiam hic senarius legebatur:

Παρ' Ἀλκιβιάδου τοῦτο τ' ἀποβήσεται.

Ex quo intelligitur, Alcibiadem peradolescentulum, iam vicesimo primo aetatis anno, in re publica versatum esse et ad claros pervenisse oratores. Cf. Fritzschii Commentationem De Daetalens. p. 34 et p. 52.

Sed quum omnibus locis, quos percurrimus, iubeamur et paene cogamur, ne ultra necessitatem annum Alcibiadis natalem magis ab eius anno mortis moveamus, quam res ipsa postulet, post annum autem Ol. LXXXII, 4 natum eum non esse demonstraverimus, quumque huic ipsi anno, si ponimus natalem fuisse, non modo nullus locus apud veterem scriptorem obstet atque officiat, sed omnia, quae apud eos de Alcibiade narrata invenimus, mirum in modum faveant: non invenio equidem, cur non illum

ipsum annum vere natalem Alcibiadis fuisse statuamus. Atque sic Cornelius quoque quadam ex parte defenditur. Is enim quum numero rotundo uti voluisset vidissetque pari spatio morientem Alcibiadem a quadraginta et a quinquaginta annis aetatis disiunctum fuisse, eodem iure, quo quinquaginta, ut nonnulli voluerunt, quadraginta annos natum appellare eum potuit. Natus enim Ol. LXXXII, 4. Ol. XCIV, 1 quadraginta quinque annos expleverat.

CAPUT V.

LOCUM ALC. IV, 3 BENE CUM JUSTINO CONVENIRE OSTENDITUR. VARIA ALCIBIADIS ITINERA, ANTEQUAM SPARTAM ADVENIRET.

His verbis, quae profecto iam Alcibiade Athenis contra eum machinati sint adversarii, a Cornelio narratur: „Nam postquam in Siciliam eum pervenisse crediderunt, absentem, quod sacra violasset, reum fecerunt." Alc. IV, 3. Laudat Staver. ad haec vv. locum apud Justinum V, 1 tanquam huic narrationi officientem. Evolve sis Justinum, ubi haec invenis: *Dum Athenienses in Sicilia bellum per biennium cupidius quam felicius gerunt, interim concitor et dux eius Alcibiades absens Athenis insimulatur, mysteria enuntiavisse, revocatusque a bello ad iudicium — Elidem profectus est.* Quae vv. Staver. sic interpretatur, quasi post biennium demum accusatum esse Justinus referat. Neglexit vir doctissimus voculam *interim.* Namque manifestum est, noluisse Justinum illis verbis tempus, quo iste accusatus esset, indicare, sed id tantum agere, ut

quot annos bellum in Sicilia infeliciter gestum sit definiat. Noli igitur putare, non licere per Justini verba fidem habere Cornelio. Qui praeterea gravissimis veterum scriptorum, in iisque Thucydidis Aristophanisque, auctoritatibus adiuvatur atque defenditur. Eadem enim aestate, qua bellum in Sicilia gerere coepissent, Ol. XCI, 2 Chabria archonte Alcibiadem per navem Salaminiam ab imperio avocatum esse liquet e Thuc. VI, 61. Quam rem confirmari videmus Aristophanis Avv. v. 147 seqq.:

οἴμοι μηδαμῶς
ἡμῖνγε παρὰ θάλατταν, ἵν᾽ ἀνακύψεται
κλητῆρ᾽ ἄγουσ᾽ ἕωθεν ἡ Σαλαμινία.

Aves autem datae sunt Ol. XCI, 2 Chabria archonte Dionysiis. Cf. praeter hos Diod. Sic. XIII, 2. Anno vero Ol. XCI quarto, duobus igitur post susceptam in Siciliam expeditionem, Alcibiadis iussu, primum diutius Thuriis latitantis, deinde Elidem profecti aliisque locis commorati, tunc vero Lacedaemone degentis, Lacedaemonii Deceleam communierunt. Cf. Thuc. VII, 18. Neque multo ante Lacedaemonem venerat.

Hic autem pauca adiiciendi de vario itineris flexu, quo Alcibiades a Sicilia profectus Lacedaemonem tandem migravit, exoptata se offert opportunitas. Primum igitur Thurios pervenit, incertum ipsa Salaminia nave an propria vectus, quam Salaminia comitaretur et custodiret. Illud enim e Nepotis verbis (IV, 3): „in triremem [1]), quae ad eum

---

1) Verbo *triremis* enim Salaminia significatur; quam vere triremem fuisse constat. Cf. de hac nave publica et altera, quae *Πάραλος* vocabatur, quum alios tum Schol. ad Aristoph. Aves v. 1204.

deportandum erat missa, ascendit" colligitur, hoc vero nobis a Thucydide VI, 53. 61. (c. 61: *καὶ ὁ μὲν ἔχων τὴν ἑαυτοῦ ναῦν καὶ οἱ συνδιαβεβλημένοι ἀπέπλεον μετὰ τῆς Σαλαμινίας ἐκ τῆς Σικελίας ὡς ἐς τὰς Ἀθήνας*) et a Diodor. Sic. XIII, 5 traditur. Sed parum refert haec ad unguem resecare. Theopompum hac in re Timaeumve consuluit Cornelius, cuius quidem relatio non omni probabilitatis specie caret. Nam non minus facile Alcibiades cum sociis a custodibus se subducere poterant, si in ipsa navc Salaminia erant, ac si in alia, Salaminia comitante: quum lenissime agere cum Alcibiade iussi essent, neque ullo modo vi uti liceret. Cf. Thuc. VI, 61. Nihilo tamen secius, quoniam fere semper falluntur, qui repugnant Thucydidi, huic vel hac in re maiorem fidem habendam esse, quam Theopompo, vel quocunque alio duce Nepos utatur, nihil dubito.

Ubi autem Thurios perventum esset, *οὐκέτι ξυνείποντο* (Alcibiades sociique), ut simpliciter Thucydides refert [1]). Utilissimum enim ratus est Alcibiades, impendentem evitare tempestatem. Nam hanc fugae causam profert Nepos, plane eandem quam Thucydides, qui his verbis utitur: *δείσαντες τὸ ἐπὶ διαβολῇ ἐς δίκην καταπλεῦσαι.* Quocum consentiunt Plutarch. Alc. c. XXII et Aelian. Varr. Hist. XIII, 38. Paullo malitiosius Justin. V, 1 dicit: *sive conscientiam sive indignitatem rei non ferens,*

1) Interrogaverit aliquis, quibus causis commotus Thuriis potissimum a custodibus se subduxerit. At Thuriis, quae urbs antea Sybaris appellata est, facillime potuit latitare apud colonos Athenienses et veterem aliquem amicum. Athenienses enim Lampone duce Thurium coloniam deduxerant Ol. LXXXIV, 1. Cf. Diodor. Sic. XII, 10 et alios.

tacitus in exilium Elidem profectus est. Et similia fere Diodor. XIII, 5.

Sic autem pergit Cornelius: *Inde primum Elidem, deinde Thebas venit.* Brevior est in hac vitae Alcibiadeae parte tractanda Thuc. VI, 61: *οὐ πολὺ ὕστερον ἐπὶ πλοίου ἐπεραιώθη ἐς Πελοπόννησον ἐκ τῆς Θουρίας* et c. 88: *Ἀλκιβιάδης περαιωθεὶς τότ' εὐθὺς ἐπὶ πλοίου φορτηγικοῦ ἐκ τῆς Θουρίας ἐς Κυλλήνην τῆς Ἠλείας πρῶτον, ἔπειτα ὕστερον ἐς τὴν Λακεδαίμονα ἐλθών.* Eadem fere Diodor. Sic. l. l. Nihil apud utrumque invenitur, unde eum etiam Thebas venisse pateat. Justinus etiam statim Elide Lacedaemonem demigrasse refert. Nihilominus Cornelii ratio a vero non recedit. Primum enim illud nihil valet, quod illius itineris Thebas in aliasque urbes suscepti Thucydides mentionem non iniicit: quoniam ei propositum erat, id quod vix opus est in memoriam revocare, non Alcibiadis vitam, sed bellum Peloponnesiacum enarrare. Qui vix iis, quae iure a rerum scriptore requiruntur, satisfecisset, si nihil de singulorum virorum vita et ne ea quidem praeteriisset, quae minime memorabilia essent. Deinde num cogitari potest, virum, qualis Alcibiades erat, qui nihil magis odisset quam desidiam, aequo animo passum esse, ut per totum annum procul negotiis in desidia et torpore vixisset in urbe, qua nequaquam ingenium posset exercere et in rebus publicis moderandis excellere? At nisi ingenii mobilitate alios in locos actus esset, sumendum, totum annum Elide eum commoratum esse. Huc enim, quum Ol. XCI, 2 primo vere eum fugisse ex Aristophane pateat, Thucydides autem l. l. c. 61 non

multo post in Peloponnesum profectum esse tradat, venit anno Ol. XCI secundo fere medio, Spartam autem sub finem Ol. XCI, 3, id quod ex Thucydide cognoscitur. Apud Thucydidem enim VI, 88 Alcibiades primum Spartae commemoratur, quum persuadet Lacedaemoniis, ut auxilia Syracusanis duce Gylippo mittant. Num igitur per totum annum uno eodemque loco mansisset? Hoc ne opinemur, dissuadetur etiam Plutarch. Alc. c. XXIII his verbis: *τοσούτων δὲ κατεψηφισμένων Ἀλκιβιάδου καὶ κατεγνωσμένων, ἐτύγχανε μὲν ἐν Ἄργει διατρίβων, ὡς τότε πρῶτον ἐκ Θουρίων ἀποδρὰς εἰς Πελοπόννησον διεκομίσθη.* Fuit igitur etiam in Argolide, id quod confirmat Isocr. de big. c. III. Jam vero si quaerimus, quo ex fonte Cornelius istud de Thebis hauserit, ex hac ipsa vita res illustratur. Ex Theopompo hausit et ex Timaeo, ita tamen fortasse, ut Satyrum, qui illis ducibus uteretur, consuleret. Cf. supra Cap. II. A Theopompo enim et a Timaeo dicit (c. XI) proditum esse, Alcibiadem Thebis esse commoratum eorumque studiis inservisse. Eodem modo Satyrus apud Athen. XII. p. 534 B. eum Thebis Boeotiorum, quid quod in Thessalia fuisse dicit.

CAPUT VI.

QUORUM VIRORUM OPE FACTUM SIT, UT ALCIBIADES IN PATRIAM RESTITUERETUR. QUAERITUR DE REBUS, QUAS ALCIBIADES RESTITUTUS GESSERIT, AD ILLUD USQUE TEMPUS, UBI ATHENAS REVERTERETUR.

Cornelius Alc. c. V: „Initio cum Pisandro praetore per internuntios colloquitur et de reditu suo

facit mentionem. ‚Ab hoc destitutus, primum per Thrasybulum, Lyci filium, ab exercitu recipitur, praetorque fit apud Samum; post, suffragante Theramene, populiscito restituitur parique absens imperio praeficitur simul cum Thrasybulo et Theramene.“ Harum rerum qui nexus sit et qua ratione Cornelius cum aliis scriptoribus concinat, quum non sit primo obtutu manifestum neque non virorum doctorum dubitationes quasdam moverit, non possumus quin ad hanc rem illustrandam, quomodo illo tempore Atheniensium respublica comparata sit, breviter ex Thucydide exponamus. Ad ea, quae sumus narraturi, cf. eius liber VIII a capite inde 50 usque ad finem libri.

Quo tempore Alcibiades Lacedaemone profectus in Tissaphernis tutelam se recepisset, eodem permanebat quidem, ut antea fuerat, populare imperium, ita tamen ut et Athenis et Sami, ubi exercitus erat Atheniensium, gravis iam et formidolosa quaedam factio esset, qui optimatum imperio faventes imperium populi evertere cuperent. Inter quos quum alii, tum Pisander nobilis erat. Namque quum ad exercitum fama delata esset, serio Alcibiadem de reditu cogitare eumque, si ab Atheniensibus revocatus esset, Tissaphernis auxilium polliceri, et quum paucorum potentiae amicis, Phrynicho maxime, summo exercitus duce, frustra adversante atque dictitante, Alcibiadi neque paucorum neque populi imperium curae esse, atque summopere cavendum esse, ne ei fides haberetur de Persarum auxilio atque societate somnianti, nihilominus contigisset, ut maiori parti exercitus persuaderetur, unicam salutis spem

in reditu Alcibiadis esse positam, hunc autem non prius esse rediturum, quam ad optimates imperium esset delatum: cum familiaribus nonnullis, invito Phrynicho, Pisander Athenas petiit, ut iisdem ibi rationibus, quibus apud exercitum usi essent, ad revocandum Alcibiadem et populi imperium abolendum Athenienses stimularent. Neque spes eum fefellit. Facili negotio cives longe plurimos isti causae conciliavit, hoc potissimum blandimento eos decipiens, quod finito bello, si ipsis placeret, instaurari posse imperium populare demonstraret. Pisander igitur cum decem legatis missus est, qui cum Alcibiade et Tissapherne ageret. Quos Alcibiades, sive intellexisset, non tantopere sibi deditos esse optimates quam speraverat, sive metueret, ne ab illis deciperetur, tam frigide excepit Tissaphernisque nomine conditiones ita exaggeravit, ut legati persuasum haberent, parum sibi favere Alcibiadem neque liberaliter cum ipsis agere.

In patriam reversi quum factionem suam auctam magis et admodum valere animadvertissent, etiam sine Alcibiade quod vellent se assequi posse rati nihil amplius eum curaverunt. Cf. Thuc. VIII, 63. Neque vero diutius dubitat illa factio, cui praeter Pisandrum Aristarchus, Antiphon, Theramenes et qui ad eos defecerat Phrynichus praeerant, everso reipublicae statu paucorum imperium constituere. De restituendo Alcibiade autem nunc non amplius cogitabatur, ut qui non modo non prodesse, re iam confecta, sed nocere adeo iis, qui iam civitatem moderarentur, posse videretur. Re vera igitur Al-

cibiades est a Pisandro *destitutus* [1]), quamquam ipsius vitio factum est. Quibus rebus consideratis, quam incredibili negligentia et veri cum falsis permistione scripta sint, quae Lambinus ad hunc locum de Pisandro exposuit, intelligetur. A quo destitutum esse Alcibiadem negavit, immo magnopere adiutum. Eius enim collegarumque opera et legatione, reclamante initio Phrynicho, deinde ipso quoque suffragante et maxime Theramene, tandem persuasum esse populo, ut Alcibiadem revocaret, et reipublicae administrandae formam commutari pateretur, quadringentis viris summae rei praepositis. At Alcibiades demum revocatus est, quum dudum illud quadringentorum imperium Athenienses abolevissent. De qua re statim videbimus.

Ut enim ad propositum redeamus, haec dum Athenis fierent, apud exercitum Sami castra habentem ii, qui populi potentiae favebant, novas vires sumere coeperunt. Unde quum nuntius de mutata administrandae reipublicae forma allatus esset, factum est, ut ingens omnium animis furor iniiceretur et milites vix possent teneri, quominus confestim Athenas solverent. Postquam Leon et Diomedon magistratu se abdicaverant, Thrasybulus atque Thrasyllus ab exercitu, qui iam populi Atheniensis partes explere voluit, concione habita summae rei praeficiuntur. Deinde populiscito exercitus Alcibiades in civitatem Atheniensium restituitur et ab omni criminatione et poena propter res antea gestas liberatur. Qua re Alcibiades percepta redit et summus dux eligitur.

---

1) De huius voc. significatione cf. Brem. ad l. l.

Interea dissidium oritur Athenis inter eos ipsos, qui principes factionis tunc ibi florentis habebantur. Aristocrates enim et Theramenes, imperator factus, id studebant, ut, quibus obstricti tenerentur cum optimatum fautoribus vinculis, iis se liberarent. Cf. Thuc. VIII, 90. Quod consilium ut assequerentur, commodissima iis occasio oblata est, quum, clade in Euboea insula accepta ii, qui paucorum imperii constituendi auctores fuerant, fuga capessita Deceleam ad Lacedaemonios se recepissent. Tum igitur Theramenes, vir auctoritate prae ceteris excellens, administrandae reipublicae formam ita constituit, ut imperium maximam partem ad populum rediret. Qua facta mutatione nihil antiquius habebat populus Atheniensis, quam iubere, ut Alcibiades plene in patriam restitueretur. Cf. Thuc. VIII, 97: *ἐψηφίσαντο δὲ καὶ Ἀλκιβιάδην καὶ ἄλλους μετ᾽ αὐτοῦ κατιέναι, καὶ παρά τε ἐκεῖνον καὶ παρὰ τὸ ἐν Σάμῳ στρατόπεδον πέμψαντες διεκελεύοντο ἀνθάπτεσθαι τῶν πραγμάτων.* Diod. Sic. XIII, 38: *καὶ γὰρ τὸν Ἀλκιβιάδην οὗτος* (int. Theramenes) *μόνος συνεβούλευσε κατάγειν* et c. 42: *καὶ γὰρ ὁ τῆς πολιτείας ἀφηγούμενος τότε Θηραμένης — τῷ δήμῳ συνεβούλευσε κατάγειν τὸν Ἀλκιβιάδην.* Cf. etiam Plutarch. Alc. c. XXVII.

Quibus expositis facile apparebit, quomodo et Thrasybulus possit auctor revocandi recipiendique in patriam Alcibiadis et Theramenes dici, neque quidquam in hac re continetur, id quod arbitrari videtur Wesseling. ad Diod. Sic. l. l., quod non plane congruum sit.

„Horum in imperio tanta commutatio rerum facta est, ut Lacedaemonii, qui paullo ante victores

viguerant, perterriti pacem peterent. Victi enim erant quinque proeliis terrestribus, tribus navalibus, in quibus ducentas naves amiserant, quae captae in hostium venerant potestatem." Singula haec proelia breviter percurrere iuvabit, ne eorum numerum exaggerasse videatur Cornelius.

1. Pugna navalis ad Abydum commissa. In qua quum ambiguo Marte Thrasybulus et Thrasyllus cum Mindaro confligerent, Alcibiade cum XVIII vel XX navibus superveniente factum est, ut splendidissimam Athenienses victoriam reportarent. Cf. Diodor. Sic. XIII, 45. 46. Xenoph. Hist. Gr. I, 1, 5. Plutarch. Alc. c. XXVII.

2 et 3. Pugna ad Cyzicum tam navalis quam pedestris. Alcibiade, Theramene et Thrasybulo ducibus Mindarus atque Pharnabazus fusi fugatique sunt. Qua clade accepta tantus terror Lacedaemoniorum animis iniectus est, ut illico legatos mitterent, qui de pace agerent cum Atheniensibus. Cf. Diod. Sic. XIII, 50. Xenoph. Hist. Gr. I, 1, 13. Plutarch. c. XXVIII.

4. Pugna terrestris ad Chalcedonem. Alcibiades, Thrasyllus et Theramenes Hippocratem Laconem, ex urbe oppugnata erumpentem, et Pharnabazum, obsidione eam solvere cupientem, in fugam convertunt. Cf. Diod. Sic. XIII, 66. Xenoph. Hist. Gr. I, 3, 3. Plutarch. Alc. c. XXIX.

Sed iam omnes enumeravimus pugnas tam terrestres quam navales, neque tamen utriusque generis plus duas effecimus, in quibus Lacedaemonii, ex quo tempore penes Alcibiadem erat imperium, victi essent. Ne vero Nepotem nostrum destituamus er-

roremve ei imputemus, quem non commiserit, eas quoque his victoriis adiiciemus, quas de sociis Lacedaemoniorum Athenienses reportaverant.

5. Proelium terrestre ad Pygelam. Thrasyllus Pygelenses et Milesios profligat. Cf. Xenoph. Hist. Gr. I, 2, 2.

6. Pugna navalis ad Methymnam. Thrasyllus Syracusanos devincit. Cf. Xenoph. Hist. Gr. I, 2, 8.

7. Pugna terrestris ad Abydum. Pharnabazus ab Alcibiade et Thrasyllo superatur. Cf. Xenoph. Hist. Gr. I, 2, 11.

8. Pugna terrestris ad Nisaeam. Megarenses cum exigua Lacedaemoniorum cohorte ab Atheniensibus in fugam coniiciuntur. Cf. Diodor. Sic. XIII, 65.

En habes tres terrestres et unam navalem pugnam, quae numerum a Nepote indicatum egregie complent. Quem scriptorem iam apparet etiam computandi artificem esse haud contemnendum. — De ducentis autem navibus, quas Lacedaemonii amiserint, supra Cap. II. p. 40 disputavimus, ad quem locum patiaris te reiici. Cf. etiam Wesseling. ad Diod. Sic. XIII, 68.

Non incommodum hic locum esse sentio, quo his, quae de rebus ante reditum in urbem patriam ab Alcibiade gestis exposita sunt, quaestionem adiiciam de ducibus, quibuscum rursus solvens imperium communicaverit. Etenim proficiscor a verbis c. VII: „totaque respublica domi bellique tradita, ut unius arbitrio gereretur, et ipse postulasset, ut duo sibi collegae darentur, Thrasybulus et Adimantus, neque id negatum esset“ cett. Quae res ex Theopompo desumpta esse videtur, id quod compa-

ratione facta cum Diodor. Sic. XIII, 69, qui eodem utitur auctore, statim intelligitur. Ille enim sic scripsit: *αὐτὸν* (Alcibiadem) *στρατηγὸν καταστήσαντες αὐτοκράτορα καὶ κατὰ γῆν καὶ κατὰ θάλατταν, ἁπάσας τὰς δυνάμεις ἐνεχείρισαν αὐτῷ. Εἵλετο δὲ καὶ στρατηγοὺς ἑτέρους ἐκεῖνος, οὓς ἤθελεν, Ἀδείμαντον καὶ Θρασύβουλον.* Ad calcem huius loci P. Wesseling. haec addit: „Pro Thrasybulo Aristocratem Xen. Hellen. I (5, 9) illi adiungit.“ Cuius scriptoris verba integra sic se habent: *καὶ μετ᾽ αὐτοῦ Ἀριστοκράτης καὶ Ἀδείμαντος ὁ Λευκοφορίδου συνεπέμφθησαν, οἱ ᾑρημένοι κατὰ γῆν στρατηγοί.* Subtilius autem nobis hoc quidquid est scrutantibus, omnis hic, quem inter Xenophontem Diodorumque statuunt dissensum, evanescit. Xenophon enim quum Aristocratem et Adimantum *ᾑρημένους κατὰ γῆν στρατηγοὺς* dicat, nequaquam negat Thrasybulum, quem iam supra (I, 4, 4) ante reditum Alcibiadis una cum hoc et Conone ducem electum esse narravit, iterum classi esse praefectum, idque eo minus, quod I, 5, 6 eum tanquam hoc munere fungentem commemorat. Sed praeerat Thrasybulus propriae classis parti, non illi quidem semper cum Alcibiade coniunctae, eius tamen imperio obnoxiae. Aristocrates autem et Adimantus praesentes semper erant in classe Alcibiadis, qui, ubi res postularet et a proelio navali ad terrestre ventum esset, militum terrestrium ducibus iis utebatur. Quae quum ita sint, de tota re breviter sic statuendum: Thrasybulo, primum quidem per exercitum solum, deinde autem etiam per populum Atheniensium duci electo, quum post reditum tota respublica ad Alcibiadem

deferretur, hoc munus non abrogatum, sed prorogatum est. Praeterea qui copiis terrestribus praeessent, Adimantus et Aristocrates creati sunt. Etiam Conon mansit unus ex ducibus classis. Sic optime suum cuique scriptori datur, sua cuique et auctoritas et fides conservatur.

Inter eos, qui post Alcibiadem iterum exsulem decem praetores facti sunt, duo erant ex iis, quos commemoravimus, Aristocratem dico et Cononem. Cf. Xenoph Hist. Gr. I, 5, 10. Diod. Sic. XIII, 74. In hoc enim pro Thrasybulo Thrasyllum esse legendum iam Wesselingius pulchre intellexit.

CAPUT VII.

QUID FUERIT, QUOD AD CYMEN ALCIBIADES COMMISERIT.

Cur Alcibiades in invidiam reciderit, hanc causam Cornelius (VII, 2) nobis aperit: *quod apud Cymen minus ex sententia rem gessisset*. Cui accedunt aliae apud alios scriptores causae. Quid vero illud fuerit, quod ad Cymen Alcibiades peccaverit, de hac re interpretes, Cornelii Diodorique narratione comparata, etiamnum dubitant. Cornelium enim, *quod capere Cymen noluisset a Rege corruptus*, illum accusatum esse narrare; ex Diod. Sic. XIII, 74 cognosci, Cymen foederatam urbem fuisse, ac proinde capi ne debuisse quidem: haec nullo modo coire. Hac de re ut certius aliquid statuamus, primo Diodorum audiamus, cuius oratio egregie cohaeret et verissima est. Quum Alcibiades e Samo iam omnibus navibus solvisset, Cymen, urbem

ditissimam, petiit, ut ea regione vastata exercitum locupletaret. Quae urbs quamquam societate cum Atheniensibus fuit coniuncta, cives tamen criminabatur alienatos esse ab Atheniensibus et velle ab iis deficere (ψευδεῖς αἰτίας ἐπέῤῥιψε τοῖς Κυμαίοις). Primum igitur multos captivos ad naves abduxit; sed quum tota urbs auxilio venisset et quum paullo post multi etiam e circumiectis agris convolassent, paullisper quidem vario Marte pugnatum est, sed postremo Athenienses coacti sunt captivis relictis ad naves refugere. Quam rem indigne passus Alcibiades, arcessitis e Mitylene gravis armaturae militibus, ante urbem aciem instruxit Cymaeosque ad pugnam provocavit; nullo autem prodeunte, agris vastatis Mitylenen navigavit.

Id scilicet agebat Alcibiades, ut exercitum praeda locupletaret: nam et Athenienses tum erant opibus exhausti et praedae inhiare milites solent et Cyme diu collectis abundabat divitiis. Ideo et finxit Cymaeos defectionem cogitare et multos captivos abduxit. Cymaei, quibus fides sua Atheniensibus habita et optima causa et ira animos addidisset, rem gesserunt egregie et uti decebat: gravem iniuriam graviter ulti sunt. Alcibiades ira ardens vindictaeque studio occaecatus, primo e Mitylene milites vocavit instructaque ante urbem acie, non tamen Cymen ipsam aggredi ausus est, sed paullo post cum toto exercitu abiit. Hic quaero, cur tergiversatus neque Cymen expugnare conatus sit. Non certe quo copiis suis diffideret, quibus Cymen expugnare nullo negotio potuisset. Nec rursus, quo amaret Cymaeos, qui nisi ira flagrasset, non mox

regionem esset depopulatus. Verum enim vero *timebat Athenienses*, quos intellexerat non commissuros esse, ut sociam urbem expugnaret inultus. Quamobrem re infecta, quum tamen animum explevisset, abiit. Nunc quaeritur, cur Cymaei non exierint ad pugnandum, quum paullo ante Alcibiadem vicissent. Metu, inquit, prohibiti sunt. Fortasse. Sed si Athenienses everti Cymen ut urbem alienatam voluissent, neque Alcibiades irae plenus repente ab incepto destitisset, quum et copiarum satis superque et victoriam in manibus haberet, neque Cymaei, quibus nulla spes salutis nisi in victoria superesset, non alacri animo ad pugnam prodiissent. At nimirum pulchre viderant, Alcibiadem quamvis occaecatum odio non posse tamen foederatam urbem ad internecionem delere. Itaque intra muros se continuerunt, ne vel temere proelio confecto multi caderent, vel quo maiorem animi moderationem suam Atheniensibus mox probarent. Quare quum Alcibiades vixdum e conspectu abiisset, Cymaei legatos Athenas miserunt questum de iniuriis Alcibiadis, qui sociam et fidissimam urbem nulla iniuria illata obsidere non dubitasset. Populus Atheniensis et huic delationi et aliis multis fidem adiecit (*ταχὺ δὲ τοῦ πλήθους πιστεύοντος ταῖς διαβολαῖς*). Omnium vero maxime duobus criminibus populus exacerbatus est, tum quod ad Notium, absente licet Alcibiade, ab Antiocho pessime res gesta esset, tum quod Alcibiades in Cymaeos peccasset (*διὰ τὸ περὶ τὴν ναυμαχίαν ἐλάττωμα καὶ τὰ περὶ τὴν Κύμην ἡμαρτημένα*). Decem igitur imperatores in Alcibiadis locum subrogavit populus, cui illius viri audacia suspecta

esset (ὑφορώμενος τὴν τοῦ ἀνδρὸς τόλμαν): nempe quod ausus esset et imperium tradere Antiocho et sociam urbem fidelemque armis oppugnare. Ex his clarissime patet, Cymaeorum legatis ab Atheniensibus prorsus fidem habitam esse, denique Alcibiadis iniuriam in innoxios Cymaeos saevientis vehementissime et usque eo improbatam esse, ut haec altera esset causa Alcibiadis ab imperio removendi. Neque immerito. Nam illis temporibus Atheniensium potentia, si non fracta, maxime tamen imminuta, erat profecto imperatoris, dubitantes socios in officio confirmare, minime vero fideles maximis iniuriis alienare.

Satis diximus de Diodori sententia tam concinna, tam simplice, tam non dubia, ut ne unum quidem verbum erroris, nedum mendacii arguere possimus. Nunc vero videamus Cornelium Nepotem errores committentem maximos. Dubitari potest, utrum primus ita erraverit, an ineptias suas hauserit e Theopompo vel Timaeo. Cornelium igitur auctoris sui sententiam non assecutum esse minime credo. Quod enim tradit Cornelius, sunt illa quidem gravissima mendacia, sed pulchre inter se cohaerent, ut, absque Diodoro esset, per se admodum credibilia videri possent. Atqui is, qui auctorem suum non intellexerit, omnia solet confundere. Neque haec Theopompum sapiunt, gravem scriptorem verique amantem. Prorsus haec videntur e Timaeo sumpta esse, homine in primis mendace, quem Theopompus longo post se reliquit intervallo. Quid igitur hic affert Cornelius? „Quod apud Cymen minus ex sententia rem gesserat, in invidiam recidit. —

Nam corruptum a Rege capere Cymen noluisse arguebant." Haec cum Diodori locis nullo modo conciliari possunt. Qui quum vera retulerit, sequitur, falsa retulisse Cornelium. Quod autem Bosius arcanum praeceptum Atheniensium fingit, ut Cyme everteretur, nihil facit ad dissensum cum Diodoro tollendum. Cui coniecturae etiam valde obstat animus, qui tum fuit Atheniensium, quippe qui non expugnare socios sed confirmare studerent. Fuerunt alii, qui suspicarentur a Cornelio scriptum esse: *capere Cymen voluisse*, immemores illi, argumentationem Cornelii sic manifesto turbari. Nimia opinio fuit ingenii ac nihil eum non efficere posse ducebant: quare malitiose fecisse eum loquebantur et corruptum a Rege capere Cymen *noluisse*. — Unus partem veri vidit is, quo nemo melius cognitum habebat Cornelium, Lambinus, quum haec ad pugnam navalem ad Notium commissam referret. Res, ut opinor, fuit eiusmodi. Duo fuerunt accusationis quasi capita, alterum, *ὅτι τὰ Λακεδαιμονίων φρονεῖ* — *διὰ τὸ περὶ τὴν ναυμαχίαν ἐλάττωμα* (Diodor.), i. e. obiiciebatur ei *λακωνισμός*, quod per malitiam Antiochum ad Notium suffecisset et Lysandro lubens in manus tradidisset victoriam. Alterum vero crimen hoc fuit: *καὶ πρὸς Φαρνάβαζον ἔχει φιλίαν* — *καὶ (διὰ) τὰ περὶ Κύμην ἡμαρτημένα* (Diodor.), *corruptum a Rege* (Cornel.). Hoc est: voluisse Alcibiadem a Rege et Pharnabazo inductum Cymen sociam urbem ac fidelissimam, regi vero invisam, evertere. Error Cornelii, vel potius Timaei, explicari potest facillime. Confudit enim duo crimina, quae perpetuo ordine enumeravit Diodorus, *τὸ περὶ*

τὴν ναυμαχίαν ἐλάττωμα καὶ τὰ περὶ Κύμην ἡμαρτημένα. Haec duo tanto facilius confundi poterant, quod et reapse in accusatione coniungerentur et quod Alcibiades profecto apud Cymen minus ex sententia rem gesserat. (*Ἠναγκάσθησαν — καταφυγεῖν ἐπὶ τὰς ναῦς* Diodor.). Praeterea omnino dixerant Athenienses, Alcibiadem a Rege et Pharnabazo corruptum capere Cymen *voluisse.* At enimvero Cornelius vel fortasse iam Timaeus, quum infelicis proelii ad Notium commissi oblitus esset, putassetque omnem accusationem in crimine Cymaico, tanquam in cardine, versam esse, quum tamen idem sciret male ab Atheniensibus pugnatum esse idque crimini datum Alcibiadi: prope dixerim cogebatur haec in hunc modum temere et inconsulto confundere: *quod apud Cymen minus ex sententia rem gesserat, in invidiam recidit. — malitiose fecisse loquerentur. — Nam corruptum a Rege capere Cymen noluisse arguebant.* Culpae Alcibiadis tribuebant infelix proelium Notianum. Haec fuit malitia. Sed iniuria Cymaeis illata fuit *τόλμα* (Diodor.) potius quam malitia. Haec duo igitur monstruose conglutinavit Cornelius. Denique *capere Cymen noluisse arguebant* scripsit miratus etiam rem, cuius rationes non intellexerat, aciem exercitus ante Cymen instructam, neque tamen urbem oppugnatam. Hoc ei oppido mirum videbatur, quod ut explicaret, rem omnem corrupit.

CAPUT VIII.

CASTELLA AB ALCIBIADE MUNITA; BELLUM CONTRA THRACES GESTUM.

Nullus in tota vita est locus, in quo interpretes tam misere laboraverint et desudaverint quam iste Alcib. VII, 4: *et se Pactyen contulit, ibique tria castella communivit, Borros, Bisanthem, Neontichos, manuque collecta primus Graeciae civitatis in Thraciam introiit, gloriosius existimans* cett. Quibus in verbis ut omnia secundum ordinem expediamus, ab urbium et castellorum, quorum mentionem facit, et nominibus et situ, quantum poterit, accurate definiendis exordimur.

Primum igitur dissensus est de v. *Pactyen*, ubi alii *Perinthum* legi volunt. Plerique codd. habent *Pataram*, quod multis de causis ferri non posse iam Bosius docuit. Non magis tolerandum est, quod Longolius vult, *Perinthum*, qui invenisse se ait in quodam codice *Parinthum*. Hoc nomen enim quum post eum in nullo codice a quoquam inventum sit, et prodiisse videtur ex ipsius Longolii capite magis quam libro manu scripto, neque conciliari potest cum iis, quae a reliquis scriptoribus in hanc rem memoriae produntur. Qui omnes in eo consentiunt, primum eum, quum ab exercitu decessisset, in Chersonesum Thracicam navigavisse. Cf. Xen. Hist. Gr. I, 5, 10 *λαβὼν (ὁ Ἀλκιβιάδης) τριήρη μίαν, ἀπέπλευσεν ἐς Χεῤῥόνησον, εἰς τὰ ἑαυτοῦ τείχη.* Accuratius aliquanto Diodorus Siculus XIII, 74, qui primum eum Pactyen in terra Thracia concessisse dicit. Quae urbs erat Chersonesi, sub finem

longi muri, isthmum inter et continentem exstructi, ad solem orientem prope mare sita. Atque hoc ipsum nomen viri docti eo minus reponere dubitaverunt, quum non modo integre ab uno codice (Daniel.) exhibeatur, sed etiam eius vestigia ex aliis duobus (Putean. Savar.) eruantur. Praeterea haec urbs neque Plinio (Hist. Nat. IV, 11), neque aliis viris antiquitatis geographis, quos Bosius ad hunc locum laudavit, ignota est. Cf. etiam Herod. VI, 36. Ceterum prae forma *Pactyen* commendanda videtur altera *Pactyam*, ut quae proxime accedat ad plerorumque codicum lectionem *Pataram*.

Ibi igitur, i. e. non in ipsa urbe, sicut mire Magius opinabatur, sed in regione vicina, secundum Propontidis oram, tria castella communivit, ex quibus unum certe in ipso isthmo situm erat: id quod colligendum est e vv. Xenophontis supra laudatis et Plutarch. Lysandr. c. X. *ἐτύγχανε γὰρ (ὁ Ἀλκιβιάδης) περὶ Χεῤῥόννησον ἐν τοῖς ἑαυτοῦ τείχεσι διαιτώμενος*, et magis etiam e Xenoph. Hist. Gr. II, 1, 16 *κατιδὼν ἀπὸ τῶν τειχῶν τοὺς μὲν Ἀθηναίους* (quorum naves eo tempore ad Aegos Flumen stationem habebant) *ἐν αἰγιαλῷ ὁρμοῦντας*. Atque v. *communivit* nescio an ita intelligendum sit, ut, quae munimenta iam prius exstruxerat, ea rursus susceperit magisque perfecerit. Certe delatum esse, quod Bisanthem communivisset, quum imperatoris munere etiam fungeretur, scimus ex Plutarch. Alc. c. XXXVI: *ἐνεκάλουν δ᾽ αὐτῷ καὶ τὴν τῶν τειχῶν κατασκευὴν, ἃ κατεσκεύασε ἐν Θρᾴκῃ περὶ Βισάνθην, αὐτῷ καταφυγήν*. Nuncupantur autem tria illa castella in plerisque codicibus *Bornos*, *Biza* s. *Byzia*, *Themeontichos*, quod

commutarunt viri docti in Bornos, Bisanthem, Neontichos, verissime quidem ad posteriores duas voces, minus tamen recte ad priorem. V. *Bornos* enim apud nullum scriptorem commemoratum invenimus. Unde Mannertus (*Geographie der Griechen und Römer. Landshut, 1812. Band VII. p. 183*) suspicatur, esse a Cornelio non *Bornos* sed *Ganos* scriptum, quod erat oppidulum haud procul a Pactya, in ora Propontidis. Ut vero illud Mannerto condonemus, quod nimis a codicum lectione recedit, in eo tamen videtur peccasse, quod, quum illius castelli memoria plane interierit, nomen hoc ignotum cum nobili commutari iubet. Non enim mirum esset, si, ut tot aliorum, ita huius etiam castelli memoria temporum iniuria periisset. Tamen aliquid latet in v. *Bornos*, quo suspectum nobis reddatur. Omnia enim, quae hic leguntur, et oppidorum et locorum nomina Graea sunt et debent esse, certamque quodlibet habet significationem. Pactya enim dicitur a *πακτόω die Feste*. Neontichos est *νέον τεῖχος*. Bisanthe significat *flos Bistonum:* stirps enim Bis — cohaeret cum Threciis nominibus *Βίστων* atque *Βίσων*. Atqui solum illud *Bornos* vox est nihili. Quare probabilis videtur coniectura, si scribimus *Bisoros* i. e. *collis Bistonum*, quo nomine oppidum aliquod Thraciae vel locum appellatum esse sumimus. In editis vero locis castella communienda erant. Ceterum de *Bisanthe* et *Neonticho* lege, quae Bos. ad h. l. et Mannertus l. l. p. 180 et 182 ex antiquis scriptoribus testimonia congesserunt. Omnibus etiam illud confirmatur, castella ab Alcibiade in Thracia communita non procul fuisse ab urbe Pactya.

His igitur expeditis ad locum impeditissimum et maxime vexatum pergimus, ad verba: *manuque collecta primus Graeciae civitatis in Thraciam introivit*, quae enuntiatio quot verba continet, totidem experta est interpretationes et emendationes, quas longum est omnes enumerare neque valde necessarium post diligentem operam Bardilii. Illud enim omnibus offensioni fuit, quod primus Graeciae civitatis in Thraciam introïisse diceretur. Jam centum enim annis ante Alcibiadem colonias Graecas in Thraciam deductas esse. In memoriam esse revocanda, quae ipse Nepos (Milt. II, 1) retulerit de Miltiade, Chersonesum profecto, loca castellis idonea ibi communiente, et quae de expeditionibus contra Potidaeam initio belli Peloponnesiaci susceptis sciamus. At non semper paeninsulae duae, quae Chalcidices et Thraciae Chersonesi nomine cognitae sunt, communi Thraciae vocabulo una comprehenduntur, ut intelligitur e Thuc. I, 57. II, 79 atque etiam ex eo, quod Chersonesi incolae Graecorum contra Thraces auxilium aliquando imploraverant. Credimus: sed nihil his efficis ad illorum dubitationes removendas, qui castella illa ab Alcibiade communita, in iis certe Bisanthem, nullo negotio Thraciae vindicabunt. Jam erat igitur in Thracia, et nihilominus in Thraciam, idque primus inter Graecos, deinde introïisse dicitur. Quae quum ita essent, interpretes ad verba *manuque collecta* animum attenderunt, et hoc modo defendendi Nepotis periculum fecerunt: Alcibiadem primum fuisse e viris Graecis, qui cum exercitu Thraciam petierit. Sed naufragium fecerunt qui sic interpretarentur,

quippe quum latinitati manifesto vim inferrent. Si illud enim, quod isti volunt, scribere propositum fuisset Cornelio, sic verba collocasset: et primus erat Graeciae civitatis, qui manu collecta sive cum exercitu Thraciam introiret. Atque nonne iam erat in Thracia, quum castella communiret? Quomodo dici poterat, munitis iam castellis, in Thraciam introiisse? Num vero cum Magio ita ratiocinabimur, „nusquam diserte dictum esse, id postea demum esse factum,“ quem magnopere errasse vel obiter inspecto verborum nexu patet. Alii alias vias ingressi sunt. Thraciam hic eam esse intelligendam, ubi liberi populi habitarent: quod ut apertius esset, ita lectionem mutarunt: *civitates in Thracia*, latinitate parum commoda. Thracia igitur est ea Thraciae pars, in quam ingressus est. At quomodo tam obscure scriptor potest loqui? Non plus profecerunt, qui in aliis coniecturis, ut *privatus* vel *primus privatus*, salutem quaererent. Semper enim illud impedimentum reliquum est, quod iam in Thracia versabatur, quum illuc profectus esse dicatur.

Ut vero nobis comparemus, quo in tanta diversissimarum sententiarum quasi mole tanquam firmo fundamento innixi, diiudicemus, quî tandem illa verba explicanda sint, primum investigandum erit, qui illi populi, quibus bellum intulit, fuerint et ubi habitaverint. Constat fuisse Thraces liberos, regibus non subiectos, id quod apparet ex Plutarch. Alc. c. XXXVI *ξυναγαγὼν ξένους ἐπολέμει τοῖς ἀβασιλεύτοις Θρᾳξὶν ἰδίᾳ* et confirmatur iis, quae sub finem Nep. Alc. c. VII. de amicitiis cum regibus Thraciae contractis memoriae produntur. Cavendum

tamen est, ne horum populorum fines falsa regione ponamus, ad quod facile adduci possumus, legentes apud Xenoph. Hist. Gr. V, 2, 12 haec verba: *γείτονές εἰσιν αὐτοῖς (τοῖς Ὀλυνθίοις) Θρᾷκες οἱ ἀβασίλευτοι.* Hos vero Olynthiorum accolas magnopere erraret qui eosdem fuisse crederet, atque eos, quibus Alcibiades arma intulit. Supra enim docuimus, arces ab Alcibiade munitas prope Pactyam in oris Propontidis septemptrionalibus sitas fuisse, quas eam ob causam communiverat, ut iis in bello contra Thraces gerendo niteretur et, si res minus ex sententia processisset, tutum haberet receptum. Sed male aptae fuissent in hunc usum, si tanto intervallo a loco, quo bellum gereretur, seiunctae fuissent. Longum igitur iter et per regum Thraciae terram suscipiendum fuisset, quod eum non suscepisse inde verisimile fit, quod mox eum ad Aegos Flumen (Nep. Alc. c. VIII; Plutarch. Alc. c. XXXVII) videmus Athenienses convenientem consilioque adiuvare cupientem. Non potuit igitur neque longe neque diu a Chersoneso suisque castellis recessisse. Itaque iam quaeritur, an in finitima regione etiam Thraces liberi s. *ἀβασίλευτοι* habitaverint, id quod omnino affirmandum est. Nam quum Seuthes rex esset Odrysarum, multae gentes eius potestati se subduxerant, quae partim ipsae reges sibi elegerant, partim plane liberae vivebant, ita ut Odrysarum imperium ea regione, quae circa Hebrum flumen erat, circumscriptum esset. In regionibus etiam circa Byzantium sitis, Maesade rege eiecto, liber populus habitabat (Cf. Mannert. l. l. p. 49 seqq.). Itaque septemptrionem versus a Propontide etiam

Θρᾷκες ἀβασίλευτοι fuerunt, iidem atque ii, quibus bellum Alcibiades intulit, fortasse illi Absinthii, qui identidem Chersonesi incolas infesto et barbaro agmine aggrediebantur.

Jamque magis magisque perspicuum fit, qualis eorum, quae saepe dixi, verborum sensus sit: *primus Graeciae civitatis in Thraciam introivit.* Omnis explicationis cardo versatur in v. *introivit*, quo Alcibiadis expeditio iis, quas antea Graeci in Thraciam fecerint, opponitur. Ante Alcibiadem enim Graeci Thraciam ingressi non ultra oram maritimam perrexerunt: hic autem, manu collecta, in Thraciam *introivit*, i. e. in interiorem Thraciae partem profectus est, quo nemodum Graecorum ante eum penetraverat. Quae huius vocabuli vis quum et propria sit neque raro obvia, miror quomodo tam diu hic locus virorum doctorum ingenia ludere et cruciare potuerit. *Introire* enim est ita inire, ingredi, ut re vera *intro* sis, in mediam rem proficisci, penetralia rei petere. De lectionum varietate nihil est quod addatur, ut quae non ex codicibus sed e virorum doctorum, qui sensui gratificaturi essent, ingeniis manaverit. — *Civitas* non ita raro usurpatur pro *cives*. De v. *Graecia*, pro adiectivo usurpata, confer quae a viris doctis ad h. l. congesta sunt exempla.

CAPUT IX.

DUO LOCI (VII, 4 ET VIII, 4) AB INTERPRETUM CRIMINATIONIBUS DEFENDUNTUR.

Alium in eius locum substituerunt, haec sunt verba (VII, 4), propter quae fidem Nepotis histo-

ricam plane suspectam redditur misere eum allatrant et mordaci, ut ita dicam, dente mordent. Primus Lambinus offensus est, qui haec annotat mirabundus: „Alium? Immo alios, eosque decem, quorum nomina commemorant Xenoph. Hist. Gr. I (5, 10) et Diodor. Sic. XIII (74).“ Sed nullo modo vitio hoc vertendum est Nepoti, quod *alium* dixerit. Decem quidem creabantur, sed unus tantum fuit, qui earum navium, quibus Alcibiades praefuerat quasque Samum deduxerat, imperium obtineret, itaque in eius locum substitueretur. Fuit ille Conon. Cf. Xenoph. Hist. Gr. I, 5, 10 et qui accuratius rem demonstrat Diod. Sic. XIII, 74: *ἐκ δὲ τούτων προκρίνας Κόνωνα ταχέως ἐξέπεμψεν* (int. *ὁ τῶν Ἀθηναίων δῆμος*), *παρ᾽ Ἀλκιβιάδου τὸ ναυτικὸν παραληψόμενον. Ἀλκιβιάδης δὲ τῆς ἀρχῆς ἐκχωρήσας τῷ Κόνωνι καὶ τὰς δυνάμεις παραδοὺς* cett. Tantum igitur abest, ut ad Xenophontis et Diodori libros refutandi Nepotis causa provocari queat, ut optime ex iis ipsis perspiciatur, bene se, quae narraverit Cornelius, habere et fidem historicam prae se ferre. Aliud etiam his addi potest testimonium, Justini dico, qui haec habet (V, 5, 3): *ut Alcibiadem ducem Conone mutarent* et V, 6, 1: *Conon Alcibiadi suffectus.*

Alterum vitium deprehendisse sibi visi sunt c. VIII, 4 in v. *Philocles.* Xenophon quidem, qui (Hist. Gr. II, 1, 16) eandem rem narrat, huius viri nullam mentionem facit: *οἱ δὲ στρατηγοί, μάλιστα δὲ Τυδεὺς καὶ Μένανδρος, ἀπιέναι αὐτὸν ἐκέλευσαν, αὐτοὺς γὰρ νῦν στρατηγεῖν, οὐκ ἐκεῖνον.* Iisdem fere verbis utitur Plutarch. Alc. c. XXXVII,

praeter illud, quod Menandrum nominatim non commemoret inter duces Alcibiadis consilia repudiantes. Diod. Sic. XIII, 105 nominatim neminem appellat. Constat autem etiam Philoclem unum ex ducibus fuisse, qui cladem ad Aegos Flumen acceperint. Sex enim fuerunt: *Conon*, unus ille reliquus e decem, qui, remoto Alcibiade ab imperio, creabantur, (Xenoph. Hist. Gr. I, 7, 1. Plutarch. Alc. c. XXXVII) et solus ducum e proelio ad Aegos Flumen commisso superstes (Xenoph. Hist. Gr. II, 1, 18); *Adimantus*, (Xenoph. l. l. Plutarch. c. XXXVI) non confundendus ille cum Adimanto, Alcibiadis et Thrasybuli collega (Nep. Alc. VII, 1. Fuit hic filius Leucophoridi, ut audit apud Xenoph. H. G. I, 5, 9, Aristophanem, Eupolim aliosque); *Philocles* (Xenoph. H. G. I, 7, 1. Plutarch. Lysand. c. X, qui istum a Lysandro sua manu trucidatum esse narrat); *Menander*, *Tydeus*, *Cephisodotus* (Xenoph. H. G. II, 1, 11. Plutarch. Alc. c. XXXVI), apud quos deinceps per dies summa imperii erat [1]). Jam vero non video, quidni per Xenophontem et Plutarchum liceat fidem Nepoti habere. Ut enim Tydeus et Menander pro virili parte Alcibiadem obiurgaverint, tamen, pulchre monente P. Wesselingio ad Diod. Sic. XIII, 105 n. 21, summum per illum diem classis imperium apud Philoclem videtur fuisse, ita ut penes eum etiam potestas esset, quae Alcibiades pollicitus erat, ea vel accipiendi vel negandi. Certe illud ex ipso v. *μάλιστα*, quod est apud Xenophontem, liquet,

1) Id mori Graecorum convenire docent interpretes ad Herod. VI, 110. Thuc. VI, 91.

etiam alios fuisse praeter Tydeum et Menandrum, qui Alcibiadem abire iuberent: hi fortasse, Tydeus et Menander, aspere increpantes, ut est apud Xenophontem, Philocles, quippe summus illo die dux, graviter monens.

In oratione, quam Alcibiadem coram exercitu habuisse tradit Cornelius, eadem quae Diodorus legisse videtur vestigia. Cf. quae a P. Wesselingio ad Diod. Sic. XIII, 105 in hanc rem annotantur, cuius haec est opinio: „Quod Palmerius ex Theopompo haec Diodorum excerpsisse opinatur, id a vero non abludit. Nec erat tamen, cur eius fidem sperneret, nam et quae Xenophon et quae Diodorus adferunt, ab Alcibiade quidni dicta censeamus? Non enim pugnant. Cornelius Nepos in Alc. c. VIII similia ex eodem Theopompo memoravit.“ Recte haec disputavit vir doctissimus. Etenim Xenophon non aliter quidem, ut vult Bosius, sed paullo brevius de his rebus exponit, qui illud de regibus Thraciae, quorum gloriabundus auxilium Alcibiades pollicitus est, plane omittat. Attamen nihil habet oratio, qualem legimus apud Cornelium, quod a vero abhorreat, neque mirifice congruat moribus Alcibiadis, vanissimi hominis atque omnem modum modestiae saepenumero longissime transgressi. Non immerito igitur haec ex Theopompo Cornelius assumpsit. Quod autem adiicit: *id etsi vere dictum Philocles animadvertebat*, in eo, ut iam supra significavimus (Cap. I), aut fallitur Nepos aut fallit. Nam etiamsi Alcibiades hic non pollicitus esset, quae praestare non posset, sed Seuthen deducere vere potuisset, ne tum quidem ei debuit Philocles

credere. Nam iam semel antea Athenienses fefellerat, quum in Samo Tissapherne abutens maria montesque pollicitus esset. Cf. Thuc. VIII, 81: *καὶ ὑπερβάλλων ἐμεγάλυνε τὴν ἑαυτοῦ δύναμιν παρὰ τῷ Τισσαφέρνει —. ὑπισχνεῖτο δ' οὖν τάδε μέγιστα ἐπικομπῶν ὁ Ἀλκιβιάδης, ὡς Τισσαφέρνης αὐτῷ ὑπεδέξατο, ἦ μὴν, ἕως ἄν τι τῶν ἑαυτοῦ λείπηται, ἢν Ἀθηναίοις πιστεύῃ, μὴ ἀπορήσειν αὐτοὺς τροφῆς, οὐδ' ἢν δέῃ τελευτῶντα τὴν ἑαυτοῦ στρωμνὴν ἐξαργυρῶσαι —.*

CAPUT X.

LOCUS ALC. IX, 1 EXPLICATUR.

Ut accurate intelligamus, Nepotem verbis cap. IX, 1: *penitus in Thraciam se supra Propontidem abdidit* non dissentire a ceteris scriptoribus, qui hanc rem narrant, de significatione praepositionis *supra*, ubi ad locum spectet, erit videndum. Bene enim cavendum est, ne, quomodo nos in rebus geographicis notionibus *supra* et *infra* utimur, ita iis etiam veteres usos esse opinemur. Nos enim, quibus orbis terrarum imago ob oculos versatur, quae septemptrionem versus a terra aliqua sita sunt, *supra*, quae meridiem versus, *infra* iacere dicimus. Non ita Romani. Hi enim neque septemptrionem neque meridiem tum quidem curantes, terram aliquam supra alteram iacere dicunt, si per hanc alteram proficiscendum est, ut in illam perveniamus; infra iacere, si per ipsam proficiscendum est in alteram perventuris. Omnia igitur in loco posita sunt, unde proficiscimur. Intelligis igitur, quum

Chersoneso *supra Propontidem* pergeret, non esse septemptrionem versus a Propontide profectum, sed trans Propontidem. Et sic egregie consentit cum Plutarcho, qui in Bithyniam eum abiisse tradit. Nam hic quoque Thraces habitabant, quod tum ex eodem Plutarcho discimus c. XXXVII ὑπὸ τῶν ἐκεῖ (Bithyniam dicit) Θρακῶν spoliatum eum esse tradente, tum e Xenoph. Hist. Gr. I, 3, 2. Cf. etiam Scylax p. 32. 33. Eadem vi v. *supra* reperimus Dat. IV, 1: *Cataoniam, quae gens supra Ciliciam iacet.* Oportebat enim Datamem, ut in Cataoniam veniret, Ciliciae fines transgredi, id quod diserte eiusdem cap. §. 4 narratur. Graeci eadem potestate suum ὑπὲρ adhibent. Cf. Herod. IV, 188.

CAPUT XI.

QUAERITUR DE MORTE ALCIBIADIS ET DE CAUSIS, CUR INTERFECTUS SIT.

Pharnabazi iussu Alcibiadem interfectum esse omnes harum rerum scriptores consentiunt. Quibus autem causis motus id fecerit, varium est duaeque de ea re feruntur sententiae eaeque diversissimae, ita ut, quamquam Wesselingio ad Diod. Sic. XIV, 11 altera altera non tolli sed posse coalescere utraque in unam videtur, altera tamen probanda, altera plane reiicienda sit. Proficiscimur ab iis, quae Cornelius noster de hac re refert. Apud eum igitur cap. IX et X haec habemus: Alcibiadem id molitum esse, ut, impetrata a Pharnabazo venia, ad Artaxerxem, regem Persarum, iter susciperet. Cui si aperuisset, a Cyro fratre, Lacedaemoniis adiuvantibus, clam ei

7

bellum parari, non dubitabat, quin amicum illum sibi adiungeret eoque adiutus patriam a Lacedaemoniorum imperio liberaret. Eodem autem tempore Pharnabazo per Lysandrum renuntiatum est, quidquid Lacedaemoniis cum Artaxerxe esset, irritum fore, nisi Alcibiades aut vivus aut mortuus traditus esset. Quibus minis eo perductus est Pharnabazus, ut confestim mitteret, qui Alcibiadem interficerent.

Duplicem de hac re Diod. Sic. XIV, 11 famam tradit, alteram ex ignoto scriptore, fortasse ex Theopompo, depromptam eamque omnino cum iis, quae Cornelius refert, congruentem, alteram, ut ipse dicit, ex Ephoro petitam et a priore paullo diversam. Quarum prior, ut ipsis Diodori verbis utar, sic se habet: *Πραττομένων δὲ τούτων Φαρνάβαζος Δαρείου τοῦ βασιλέως σατράπης* (i. e. satrapa a Dario factus) *Ἀλκιβιάδην τὸν Ἀθηναῖον συλλαβὼν ἀνεῖλε, χαρίσασθαι βουλόμενος Λακεδαιμονίοις.* Hic breviter perstringit, quae uberius et copiosius a Nepote exposita sunt. Neque Plutarchus Alc. c. XXXIX non facit cum utroque scriptore, Lacedaemoniorum machinationibus omnia tribuens, ut facile tibi persuadeas, ex uno quasi fonte triumviros illos hausisse eoque Theopompo. At quae de eadem re Ephorus tradiderat lib. XVII, huc fere redeunt: Alcibiades, quum intellexisset, quid Cyrus minor contra Artaxerxem fratrem moliretur, huic ut rem aperiret, veniam Susa proficiscendi a Pharnabazo satrapa petiit. Qui quum denegasset et sibimet ipsi tantae rei indicium arrogaturus statim misisset, qui de Cyri proditione regem certiorem facerent, Paphlagoniae satrapam Alcibiades adire

instituit, sed in via ipsa a Pharnabazo, verente, ne vero de his rex audito graviter sibi irasceretur, interfectus est. Cf. Baehr. ad Plutarch. Alc. p. 260.

Quae hic Ephorus tradit, quam insulsa sint et incredibilia, miror neminemdum virorum doctorum vidisse. Cur enim, secundum Ephorum, Pharnabazus Alcibiadem interfecit? Quod regem timeret. Quem cur timuit? An, quod fieri posset ut rex audiret, Alcibiadem rem prius scivisse, Pharnabazum demum ab Alcibiade accepisse? Sed nescio an non magis ridicula causa possit excogitari, cur Alcibiades occisus sit. Nam etiamsi id rex comperisset, quid tum? Primus tamen renuntiarat Pharnabazus, cuius legati multo ante mortem Alcibiadis Susis advenerant. Etiamsi vero rex scisset, Alcibiadem primum Cyri conatum aperuisse Pharnabazo, tamen ne succensere quidem ullo modo Pharnabazo poterat, qui summam fidem praestitisset. Ob tantulam causam nemo solet interfici. Accedit quod vix credi potest, Alcibiadem, rari ingenii prudentiaeque singularis virum, tam imprudenter egisse, ut, quum speraret fore, ut maximus sibi fructus ex itinere ad regem Persarum instituendo redundaret, quo consilio iter suscepturus esset, temere cum Pharnabazo communicaret.

Restat igitur, ut vera sit altera sententia Diodori, Plutarchi, Cornelii, qui Pharnabazum, ut Lacedaemoniis gratificaretur, caedis auctorem fecerunt. Quod, ut accuratius intelligamus, quo circulo res Persarum Lacedaemoniorumque eo tempore coniunctae fuerint, paucis erit persequendum. Quamquam bello Peloponnesiaco plura inter Persas La-

cedaemoniosque foedera erant icta, quae ad filios quoque Darii regis pertinebant (cf. Thuc. VIII, 18. 37), rege tamen defuncto belloque finito, omnes res ita erant commutatae, ut de vera inter utrumque populum societate cogitari non amplius posset. Ut enim tempore belli Peloponnesiaci Persae illud potissimum egerant, ut instigantes semper, adiuvantes modo, modo deficientes, prout conducere videretur, utriusque partis vires infringerent, suaque societate nihil magis exoptandum esse utrique persuaderent: ita iam res ad Lacedaemonios rediit, ut, quum maxima aemulatio inter Artaxerxem regem Cyrumque fratrem satrapasque orta esset, et cui Lacones faverent, is ceteris videretur fore superior atque potentior, omnes eorum amicitiam societatemque peterent. Optime haec laxa quidem, amicitia tamen inter regem et Lacedaemonios hoc modo a Cornelio significatur: „quae regi cum Lacedaemoniis essent.“ Pharnabazus autem, utpote qui et socer regis et summo eius partibus studio deditus esset, nihil magis poterat extimescere, quam ne Lacedaemonii, voti compotes non facti, a se et rege Persarum abalienarentur ad Cyrumque et eius asseclam Tissaphernem plane deficerent. Unde non dubitavit Alcibiadem interimere.

Ephori autem sententia, vel si illud non urgemus, quod ex ea non appareat causa satis magna, ob quam Alcibiadem Pharnabazus trucidaverit, cum altera conciliari nullo modo potest. Ephorus enim tradit, Pharnabazum ab Alcibiade cognovisse non modo Cyri apparatum, verum etiam quid sentirent Lacones Cyrum adiuturi. At si hoc rescivisset

Pharnabazus, non amplius Lacedaemoniis, ut apertis iam hostibus, esset gratificatus. Sin autem Pharnabazus sperare etiamnum poterat illo tempore, fore ut Lacedaemonii, Alcibiade interfecto, a regis partibus starent, ea profecto gratissima fuit causa occidendi Alcibiadis. Quum enim principatus Graeciae Atheniensibus devictis ad Lacedaemonios translatus esset, is ex duobus fratribus victoriam videbatur esse reportaturus, quem Lacedaemonii adiuvissent. Hac igitur spe fretus hominem de medio sustulit Pharnabazus, cui Lysander sub hac ipsa conditione Lacedaemoniorum auxilia videtur, mala tamen fide, promisisse, si prius Alcibiades interfectus esset.

Cetera, quae de caede Alcibiadis apud Cornelium leguntur, utut cum Ephori testimonio apud Diod. Sic. l. l. conveniunt, non magis tamen videntur ex Ephoro esse deprompta, quam haec ipsa, quae referuntur de causa caedis. Quem enim semel in hac re enarranda secutus est, eo relicto si subito alium auctorem, quem sequeretur, elegisset, admodum id mirabile esset. Atque bene cogitari potest Theopompum, si illud excipis, quod de causa caedis dissentiat, in reliquis rebus omnibus, quae ad mortem Alcibiadis attinent, cum Ephoro consensisse.

Sic igitur pergit Cornelius: ,,Itaque (Pharnabazus) misit *Susamithren* et *Bagaeum* ad Alcibiadem interficiendum, quum ille esset in Phrygia iterque ad regem compararet.“ Quorum virorum, teste Plutarcho, ille quidem frater, hic avunculus erat Pharnabazi, id quod facile nobis probabitur, quum certissimis tantum et spectatae fidei viris tantam rem potuerit committere.

Quod vero avunculus iste apud Plutarchum *Μαγαῖος*, apud Cornelium audiat *Bagaeus*, de hac re sic sentimus. Quoniam in peregrinis nominibus saepe variatur inter similes litteras, ut h. l. M et B, egregie eorum interpretum ratio displicet, qui Cornelium ad Plutarchi aut hunc ad illius exemplum emendaverunt. Suum sibi quisque habeat, Cornelius Bagaeus, Plutarchus *Μαγαῖος*. Fortasse ipsi Graeci in scribendo hoc nomine non sibi constiterunt, a quibus easdem litteras in aliis verbis confusas et commutatas esse scimus, ut *μεμβρὰς* (Aristoph. Vesp. v. 493), quod alii *βεμβρὰς* dicebant et *βροτὸς*, Aeol. *μορτός*. Nos quidem neutrum, neque Cornelium, neque Plutarchum, ut non acceperit, ita non reddidisse verum nomen persuasum habemus, quum mirifice barbara nomina a Graecis corrumpi solerent, neque multum Persici in hoc nomine, ut nunc est, reliquum esse videatur. Speciose Bosius *Bagoam* coniicit, quod nomen inter Persas usitatum fuisse, multis exemplis firmavit. Codices tamen religiose sequendi atque omni cura cavendum, ne, ubi erraverit scriptor, eius errores emendaturi, nostra eum eruditione imbuamus dicam, an vitiemus.

„Illi quum ferro aggredi non auderent, noctu ligna contulerunt circa casam eam, in qua quiescebat, eamque succenderunt, ut incendio conficerent, quem manu superari posse diffidebant. Ille autem“ cett. Cf. Diod. Sic. l. l. *Τοὺς δὲ νυκτὸς περιθεῖναι ξύλων πλῆθος· ἀναφθέντος οὖν πολλοῦ πυρὸς, τὸν Ἀλκιβιάδην ἐπιχειρῆσαι μὲν ἀμύνεσθαι, κρατηθέντα δὲ ὑπὸ τοῦ πυρὸς καὶ τῶν εἰς αὐτὸν ἀκοντιζόντων*

τελευτῆσαι. Plutarch. Alc. c. XXXIX: *Οἱ δὲ πεμφθέντες πρὸς αὐτὸν οὐκ ἐτόλμησαν εἰσελθεῖν, ἀλλὰ κυκλῷ τὴν οἰκίαν περιστάντες ἐνεπίμπρασαν* cett. usque ad vv. *ἔβαλλον ἀκοντίοις καὶ τοξεύμασιν.* Cetera quae huc faciunt apud eos, quos dixi, scriptores compara: ita summum Plutarchi et Cornelii cum Diodoro consensum invenies, qui scriptores non aliter differunt, nisi quod illi copiosius plurima persequuntur, quae hic breviter tantum tangit. Paullulum quidem ab his Justinus dissentit V, 8 haec referens: „Vivus in cubiculo, in quo dormiebat, crematus est," quem equidem dissensum brevitatis studio tribuam.

Quid sit illud de hospite ex Arcadia, qui nunquam discedere voluerat, quum nullus praeter nostrum scriptor eius mentionem iniiciat, difficile est diiudicatu. Attamen quin vere vixerit, non est quod dubitemus. Neque magis illud placet in suspicionem vocare, quod, Nepote auctore, gladius ei erat subductus, quoniam, etsi nullum alius scriptoris testimonium huic narrationi faveat, non potest inveniri, hoc de suo addiderit. Potius haec utraque res nostrae, quam iam supra de Cornelii in his rebus auctoritate proposuimus, opinioni documento erit et praesidio, non Ephorum, sed Theopompum hic Nepotis esse ducem.

Postremo quae fuerit illa mulier, ut de hac etiam aliquid addamus, quae iusta Alcibiadi persolverit, de hac re non convenit inter Plutarchum et Athenaeum; quum ille quidem Timandram, hic autem Theodoten eam nuncupet. Quod si Baehrius ad Plutarch. Alc. p. 261, idque merito, Hemster-

husii coniecturam, Timandram et Damasandram unam fuisse eandemque feminam [1]), defendit collaudatque, id quidem lucratur, ut iam non mirum sit, quod vel Timandra vel Damasandra Laidis minoris s. Corinthiae mater perhibetur, ad consensum tamen Athenaei cum Plutarcho coniectura illa nihil prodest. Nam Athenaeus, id quod Baehrium fugere videtur, non Damasandram, sed Theodoten dicit iusta Alcibiadi persolvisse. Vide enim Athen. XIII. p. 574 E: *καὶ ἑτέρας δὲ δύο ἑταίρας ἐπήγετο ἀεὶ ὁ Ἀλκιβιάδης, Δαμασάνδραν τῆς Λαΐδος τῆς νεωτέρας μητέρα καὶ Θεοδότην* (haec duo vocabula locum transscribens Baehrius omisit), *ὑφ᾽ ἧς καὶ ἀποθανὼν ἐκηδεύθη ἐν Μελίσσῃ, κώμῃ τῆς Φρυγίας, ἐπιβουλευθεὶς ὑπὸ Φαρναβάζου.* Ex quo loco simul apparet, quomodo fieri potuerit, ut Plutarchus atque Athenaeus n... consentirent. Utraque enim meretrix, et Timandra et Theodote, comitari peregrinantem Alcibiadem solebat: quod quum non fugisset illos scriptores, de eo dubitabant, utra earum mortuum Alcibiadem cremasset.

---

1) Hemsterhus. ad Schol. Arist. Plut. 179. p. 59. Comparare poterat vir doctissimus *Παλαίστρα* aliaque iocosa nomina, quibus Comici meretrices solebant significare.